
SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE

✝ In nomine dñi nr̄i ihū xp̄i. Ic aelfred aldormon ⁊ werburg mingefera begetan ðas bec æt haeðnum herge
mid uncre claene feo ðæt ðonne wæs mid clæne golde ⁊ ðæt wit deodan for godes lufan ⁊ for uncre saule ðearf



Aelfred

werburg



Alhðryð
eorum

Ond forðon ðe wit noldan ðæt ðas halgan beoc lencg in ðære haeðenesse wunaden, 7 nu willað heo gesellan inn to
Cristes circan gode to lofe 7 to wuldre 7 to weorðunga 7 his ðropunga to ðoncunga, 7 ðæm godcundan geferscipe to brucenne
ðe in Cristes circan dæghwæmlice godes lof rærað, to ðæm gerade ðæt heo mon árede eghwelce monaðe for aelfred
7 for werburge 7 for alhðryðe heora saulum to ecum lecedome, ða hwile ðe god gesegen haebbe ðæt fulwiht æt
ðeosse stowe beon mote., Ec swelce ic aelfred dux. 7 werburg biddað 7 halsiað on godes almaehtiges noman 7 on allra
his haligra ðæt nænig mon seo to ðon gedyrstig ðætte ðas halgan beoc áselle oððe áðeode from cristes circan ða hwile
ðe fulwiht standan mote.

Gen. Stab. Lit. Anst.
Stockholm.

CODEX AUREUS

SIVE

QUATTUOR EVANGELIA

ANTE HIERONYMUM LATINE TRANSLATA.

E CODICE MEMBRANACEO PARTIM PURPUREO AC LITTERIS AUREIS
INTER EXTREMUM QUINTUM ET INEUNS SEPTIMUM SAECULUM, UT VIDETUR, SCRIPTO

QUI IN

REGIA BIBLIOTHECA HOLMIENSI ASSERVATUR.

NUNC PRIMUM EXAMINAVIT ATQUE AD VERBUM TRANSCRIPSIT ET

EDIDIT

IOANNES BELSHEIM

PARTEM SUMPTUUM SUPPEDITAVIT SOCIETAS SCIENTIARUM CHRISTIANIENSIS.

CUM V TABULIS.

CHRISTIANIAE.
LIBRARIA P. T. MALLINGII.
MDCCCLXXVIII.

HOLMIAE
SAMSON & WALLIN.

HAVNIAE
LIBRARIA GYLDENDALIANA.

LIPSIAE
A. TWIETMEYER.

LONDINI
TRÜBNER & Co.

PARISIIS
A. FRANCK.

Typis Mallingianis.

AUGUSTISSIMO AC CLEMENTISSIMO

REGI

OSCARI II

ARTIUM LIBERALIUM BENIGNISSIMO

PATRONO AC FAUTORI

A*

venerabile hoc antiquitatis christianae monumentum

orbi christiano restitutum,

bibliothecae regiae Holmiensis thesaurum, summam venerationem testaturus

dat, dicat, dedicat

Ioannes Belsheim.

Prolegomena.

I.

Asservatur in bibliotheca regia Holmiensi codex manuscriptus membranaceus, qui, quod aliqua ex parte litteris aureis scriptus est, codex aureus[1]) appellatur, et quattuor evangelia Latine translata continet. Quem quum auctumno anni 1875 examinarem, primo iam adspectu intellexi, translationem non ubique cum Vulgata consentire ac passim memorabiles antiquiorum quoque translationum lectiones exhibere. Sequenti deinde anno, quum ad rem diligentius inquirendam iterum me Holmiam contulissem, totum codicem ita descripsi, ut non solum paginas et versus presso vestigio sequerer, verum etiam in erroribus et suprascriptis mutationibus nihil mutarem, neque quidquam novi inferrem, nisi quod continuam scripturam in separata verba dissolverem. In qua re dum occupatus sum, mox apparebat, in codice-aureo, quamquam multis locis prope ad Vulgatam accedat, non ipsam tamen Vulgatam contineri, sed translationem Hieronymo antiquiorem, id quod, si multos codicis locos cum Vulgata codicibusque Italae antea editis, neque non cum nonnullis ex antiquissimis codicibus Graecis et cum testimoniis Patrum comparaveris, manifestum fiet.

His praemissis, deinde de forma, scriptura, dictione, orthographia, migrationibus, patria, aetate codicis nostri dicendum est.

---

[1]) Mentionem de codice aureo factam inveni in his libris: G. P. Liliebladii Ecloga etc. Holmiae 1706 pag. 1; M. O. Celsii Bibl. regiae Stockholmiae historia. Stckh. 1751 pag. 179; Ios. Blanchini Evangeliarium quadruplex Romae 1748 II. pag. 597 (secundum Liliebladium); L. Hammarskiöld in »Lyceo« Stckh. 1811 II. pag. 137; Christiani Molbech »Breve fra Sverige« Havniae 1817 II. pag. 81; Erasmi Chr. Rask »Angelsachsisk Sproglære« Stckh. 1817 pag. 166; Georgii Stephens »Förteckning« etc. Stckh. 1847 pag. 1 et eiusdem »Two leaves of King Walderes lay« Havniae 1862; I. Westwood »Miniatures« Londini 1868 No. I et Gustavi Thomé »Sverige, illustreradt handbok« Stckh.

II.

Habet codex aureus folia 195, quorum unum dimidiam, duo quartam integri folii partem continent. Totus membranaceus est, in membrana, ex corio vitulino, quantum videri potest, confecta, scriptus. Altitudo foliorum ad tredecim, latitudo ad decem pollices accedit. Singulae paginae in binas columnas divisae sunt. Per totum paene codicem, id est, per omnia evangelia et in prologo evangelii Lucae, pleraeque columnae 26 versus, nonnullae 23, paucae 28 habent. Tantummodo in iis foliis, in quibus inest epistola Hieronymi ad Damasum papam, praefatioque eius ad omnia evangelia (foll. 1—3), index evangelii Matthaei (fol. 4), prologus et index evangelii Marci (foll. 62 et 62½), index evangelii Lucae (foll. 95—96), denique prologus et index evangelii Ioannis (foll. 149—149¼) singulae columnae 38 versus habent; sunt autem omnia haec folia ex viliore membrana confecta et, quod infra demonstrabitur, recentiore manu scripta.

Praeter folia haec, quae iam enumerata sunt, et foll. 5—8, quae primos octo Eusebii canones habent (postremi duo deperditi sunt), cetera omnia coloris sunt alternatim aut lucidi (sufflavi potius quam albi), aut purpurei. Membrana partim tenuis est et pulchra, partim crassa, rigida et rugis deformata; nonnulla folia, quae aliqua ex parte liquore argenteo scripta sunt, color paene peredit, v. c. fol. 155; interdum foramina quoque reperiuntur, quae ante scriptionem adfuerunt, adhaerentibus reliquiis villorum animalis, quod ubi accidit, scriba foraminibus anulum circumdedit, neque ullum verbum periit. Membrana multo levior est in parte exteriore, quam in interiore. Totus codex in 25 fasciculos (quaterniones) divisus est, quorum singuli 7 fere folia habent, neque tamen in hanc divisionem comprehensa sunt prima decem folia, quae nihil ex evangeliis habent. Primus fasciculus in fol. 18 verso desinit, secundus in fol. 25 v., tertius in fol. 32 v. et sic porro, vide numeros I II III in editione pag. 32, 46, 60 etc. in calce.

Foll. 5—8, in quibus insunt primi octo Eusebii canones (postremi duo, qui in uno, fortasse pluribus foliis scripti erant, interciderunt), varia habent ornamenta, arcus rotundos, animalium figuras, quatuordecim parvas Sanctorum imagines versicolores [1]). In folio 9 v. depicta est imago Matthaei, volumen evangelii sui manu tenentis, in quo litteris aureis inscripta sunt prima verba: »Liber generationis ihū xpī.« Supra caput pictus est angelus et ad utrumque latus minor imago; haec omnia arcu rotundo variorum colorum circumdata sunt [2]). Fol. 150 v. similem exhibet Ioannis imaginem, et ipsam arcu variis coloribus ornato circumdatam. Fol. 10 recto evangelium Matthaei incipit; sed folium 11 r. pro fronte non solum huius

[1]) Vide Tab. II, ubi una illarum tabularum forma deminuta sine variis coloribus expressa est.

[2]) Vide Tab. III, ubi imago cum arcu et ornamentis forma deminuta sine variis coloribus expressa est.

evangelii, sed totius codicis, habitum fuisse videtur; sunt in eo septem tantummodo versus (Matth. 1, 18), grandi initiali ac permagnis litteris scripti aut potius delineati; exeunt litterae in angulos propedum rectos suntque inter se connexae ac variis versicoloribus animalium figuris, simili modo connexis, plerumque aureis, ornatae. Ceterum in eadem pagina longior quoque inscriptio lingua vetere Anglica (Anglo-Saxonica) concepta, legitur, quam ad aetatem et migrationes codicis definiendas magni momenti esse infra demonstrabimus[1]).

Codex aureus duplicem divisionem habet, in κεφαλαια, »capitula«, h. e. sectiones Ammonii, et in τιτλους »breves«, h. e. partes maiores. Ita evangelium Matthaei in 353 capitula, 79 breves divisum est, ev. Marci in 232 capitula, 47 breves, ev. Lucae in 342 capitula, 78 breves, ev. Ioannis in 232 capitula, 36 breves. Hanc divisionem non semper cum similibus aliorum codicum divisionibus congruere, ipse textus demonstrat[2]).

Codex noster non modo, sicut ceteri plerique novi testamenti codices, numeros et notas marginales habet ad sectiones et canones singulorum evangeliorum designandos, verum etiam ubique notas et numeros ad ceterorum quoque evangeliorum canones indicandos; nonnullis tamen locis hae notae omissae sunt.

In foliis sufflavis scriptura atramento nigro exarata est[3]) praeterquam in primo uniuscuiusque brevis versu, qui rubrum colorem habet. Initiales uniuscuiusque sectionis litterae ac nomina »Iesus« et »Christus« colore aureo et argenteo postea addita sunt. In purpureis foliis nonnunquam color olearius albus adhibitus est[4]), saepius tamen aureus[5]) et nonnullis locis argenteus. Et argenteus quidem color haud parum expalluit, reliqui omnes prorsus integri sunt ac fulgentes, nec ullo modo per spatium 1400 fortasse annorum detriti. In purpureis foliis cruces aliaque ornamenta posita sunt, variis coloribus, albo, nigro, argenteo, aureo, picta. Gravioris momenti verba, tam singula quam plura connexa, saepe litteris aureis insignita sunt, v. c. Matth. 27, 35 (fol. 59 r.) crucifixerunt eum, Marc. 15, 24. 25 (fol. 91 v.) et crucifigentes eum, crucifixerunt eum, Luc. 23, 33 (fol. 145 v.) ibi crucifixerunt eum, Luc. 24, 7 (fol. 147 r.) filium hominis, Luc. 24, 52 (fol. 148¹/₄ r.) et ferebatur in caelum, Ioan. 19, 18 (fol. 186 v.) ubi eum crucifixerunt[6]).

---

1) Vide Tab. I, ubi facsimile illius paginae omnibus variis coloribus expressum est forma ad ²/₃ verae magnitudinis folii deminutum. — Simili modo hic versus magna littera initiali incipit in codice Lindisfarniensi ›Durhambook‹ vocato, in Museo Britannico Londiniensi asservato, quattuor evangelia translationis Vulgatae Latinae et translationis Northumbricae continente.

2) ›Capitula‹ et ›breves‹, in codice numeris Romanis, in editione, ne nimis spatii explerent, numeris usitatis (Arabicis) signata sunt; ›breves‹ praeterea ›Br‹ notati sunt, confusionis evitandae causa. — Supervacaneum vero est hic commemorare, numeros et signa capitulorum versuumque Bibliorum nostrorum recentiorum, opportunitatis causa in editione huius codicis expressa, non in codice ipso inveniri. Numeri foliorum in codice aetate nostra adpositi sunt.

3) Vide facsimile Tab. IV B.

4) Vide facsimile Tab. V B.

5) Vide facsimile Tab. V A.

6) Haec magna scribae cura, in ornamentis codicis posita, causa fuit multorum lapsuum scribendi, quorum permulti inprimis in foliis ornatissimis inveniuntur, quorum errorum plurimi

Non semper eadem pagina uno eodemque tempore perscripta est, relicto a scriba spatio, ut postea primus «brevis» versus colore rubro, prima sectionis littera aut nomen Iesu auro apponeretur. Haec autem spatia aut tam ampla facta sunt, ut, quae postea alio colore apposita sunt, totum spatium non expleant, aut tam angusta, ut, quae postea addita sunt, proximas litteras obtegant Nonnullis locis v. c. Ioan. 13, 2 et 17, 1 supplementum neglectum est, adeoque integer versus vacans mansit, exstante sola litterula initiali.

Adsunt haud pauci lapsus scribendi, quibus ab ipso scriba, nonnunquam etiam recentiori manu, appositae sunt emendationes, nunc in margine, nunc supra versum aut inter verba minusculis litteris scriptae; saepe diiudicari non potest, eademne an recentiori manu emendatio facta sit. Correctiones plurimae secundum Vulgatam factae sunt. Tres emendationes iisdem parvis litteris scriptae sunt, quarum exemplum est in Cod. Δ (Sangallensi), Matth. 8, 24: est (in margine supra versum), Matth. 10, 17: suis (in margine), Luc. 6, 46: me (supra versum).

Desunt in codice aureo et argumenta evangeliorum et subscriptiones; tantummodo in summis paucarum paginarum partibus, et quidem in medio evangelio (foll. 12 r., 16 r., 18 v., 83 v., 101 v., 153 r., 159 v., 161 v., 163 r. et v. et 185 v.) brevia argumenta apposita sunt.

Codex noster quattuor evangelia prorsus integra continet, nisi quod Luc. 21, 8—30 deest; folium enim purpureum inter foll. 140 et 141 prius intercidit, quam confectum est involucrum, quo nunc vestitus est. In evangelio Ioannis nonnulla folia liquore conspurcata sunt, unde haud dubie factum est, ut in maxima folii 188 parte prorsus nihil scriptum sit.

III.

Scriptura codicis aurei magna est et pulchra, litteris uncialibus pulchris et rotundis exarata, atque continua, nulla verborum disiunctione, prope nulla interpunctione[1]), neque adhibita stichometria. Complures litterae inter se connexae sunt, nonnunquam alia intra aliam posita, saepe duae atque etiam tres uno calami ductu scriptae (vide facsimilia Tab. IV B et Tab. V). Littera n, interdum etiam t, in fine versus supra versum posita est v. c. ES^T^, CO^N^. Littera g duas habet formas aut G aut 𝔊. In nominibus deus, dominus, iesus, christus, spiritus sanctus constanter, in aliis nonnunquam, haec scribendi compendia adhibentur: ds̄, dī, dm̄, dō (deus, dei, deum, deo), dn̄s, dn̄i, dn̄m, dn̄o (dominus, domini, dominum, domino); ihs̄, ihū, ihm̄ (ihesus, ihesu, ihesum); xps̄,

---

prima manu, nonnulli incerta manu, nonnulli quoque recentiore manu correcti sunt. Correctiones manus incertae et recentioris, nonnunquam etiam primae, notatae sunt in adnotationibus ad finem editionis.

[1]) Nonnullis locis signum † adpositum est, nonnullis locis interpunctio recentiore manu. Verba nonnulla signum ‹—› habent.

xpī, xpm̄, xpō (christus, christi, christum, christo); sps̄ scs̄, sps scī, spm̄ scm̄, spuī vel spū scō (spiritus sanctus, spiritus sancti, spiritum sanctum, spiritui vel spiritu sancto). Rariora sunt haec compendia: p = prae, p' = per, qđ = quod, h' = autem, H = enim, ÷ = est, quō = quoniam, -q' = que, et in medio verbo atque in fine verbi linea suprascripta (¯) = m, r̄t = -runt, s̄t = sunt, b' = -bus.

Scriptura codicis aurei per totum prope librum, (h. e. in superstitibus Eusebii canonibus atque in textu omnium evangeliorum et prologo ad ev. Lucae), magna et nitida est, rotundis uncialibus atque eadem manu exarata[1]; ceterae autem particulae, h. e. epistola Hieronymi ad Damasum papam eiusdemque prologus ad omnia quattuor evangelia, itemque incerti auctoris indices omnium evangeliorum et prologi ad evangelia Marci et Ioannis, mihi quidem recentiori manu deberi videntur; non quod litteris minoribus scriptae sunt (id enim consulto et de industria factum esse potest, quamquam idem scripturae genus in prologo ad Lucam et in toto omnium evangeliorum textu obvium verisimile saltem reddit, particulas illas a recentiore manu profectas esse), sed et multo pauciora in his particulis compendia, quam in evangeliis, et nusquam, sicut in evangeliis, litterae n et t in fine versuum supra versum positae diversam saltem manum ab ea, quae textum evangeliorum scripsit, manifesto ostendunt[2]), et multo vilior in his particulis membrana, pallidior color, scriptura negligentior, quam in reliqua codicis parte, denique, qui cardo rei est, non continua scriptura, sed, ut in recentioribus codicibus, dissoluta, formaque litterarum diversa ab ea, quae in ceteris codicis partibus exstat[3]), haec, inquam, omnia certa argumenta esse videntur particulas illas a recentiore manu profectas et in codicem illatas esse.

Haec autem res magni momenti est, si de aetate codicis quaeritur, et utrum Itala an Vulgata dicendus sit. Patet enim, etiamsi in codice aureo adsint hae particulae ab Hieronymo scriptae, inde tamen colligi non posse, totum codicem post Hieronymi tempus scriptum esse eiusque Vulgatam continere. Sunt sane alia argumenta, quae ostendere videntur esse eum Hieronymo recentiorem, sed de his infra dicetur.

IV.

Ut in reliquis, qui innotuerunt, Italae codicibus atque in aliis antiquitatis monumentis, ita in aureo quoque codice formas verborum peranti-

---

1) Vide facsimilia Tabb. IV B et V A et B.

2) Vide facsimile Tab. IV A.

3) Si litteras a c æ f h i p q t x pl. in evangeliis (in facsimili Tab. IV B et V A B) cum iisdem litteris in particulis illis (in facsimili Tab. IV A) accurate comparamus, apparet, in particulis illis et minores esse litteras et formae diversae, siquidem et acucula addita est vel lingula et in summa aut infima parte lineola transversa, tum huc tum illuc ducta, quorum omnium in evangeliis nihil est.

quas et dictionem vulgarem deprehendimus. Exempla nonnulla ponam, quae multo pluribus augeri poterant, praecipue in coniugatione verborum:

b et *v* permutantur: alvum (Mt. 5, 36), alvae (Ioh. 4, 35), labant (Mt. 15, 2), orabit (26, 42. 44), habe (v. 49), habete (28, 9), negabit (26, 70), gravatum (Mr. 2, 4. 10; 6, 55; Ioh. 5, 8; 5, 10. 11. 12), vivio (pro bivio Mr. 11, 4), obum (Lc. 11, 12), rogabit (11, 37), corbos (12, 24), bobem (13, 15), bobes (Ioh. 12, 14. 15), bibae (pro vivae 7, 38), honorificavit (12, 26), pelbem (13, 5), labas (v. 6), dilubium (Lc. 17, 27), intrabit (24, 29), demonstravit (Ioh. 5, 20).

b pro *p* ponitur: scribtum (Mt. 21, 13), scribsit (Mr. 10, 5), parabsidis (Mt. 23, 25), scribturas (Ioh. 5, 39).

c pro *ch* ponitur: scisma (Ioh. 9, 16).

c pro *qu* legitur: cotidie, cotidianus (Mt. 6, 11; Lc. 11, 3).

ch pro *c* ponitur: choros (Lc. 15, 7).

d et *t* promiscue adhibentur: capud (Mt. 6, 17; Lc. 9, 58), inquid (Mt. 14, 8), aput (19, 26), reliquid, davit (Mr. 10, 47).

f pro *ph* legitur: fanuel (Lc. 2, 36), efrem (Ioh. 11. 54), orfanos (14, 18).

h saepissime syllabis praefigitur: habundaverit (Mt. 5, 20), habundantius (v. 37), habundantia (12, 34), habundavit (13, 12; 25, 29), habundabit (24, 12), harena (7, 26), harundinem (27, 29. 30; Mr. 15, 19; Lc. 7, 24), honerati (Mt. 11, 28; Lc. 11, 46), honera (Mt. 23, 4; Lc. 7, 24), honus (Mt. 11, 30), honeribus (Lc. 11, 46), holeribus (Mt. 13, 32; Mr. 4, 32), habe (Mt. 26, 49), have (Mr. 14, 45; Lc. 1, 28), habete (Mt. 28, 9), abhominationem (Mr. 13, 14), habiit (pro abiit Mt. 18, 30).

h omissum ubi erat ponendum: umeros (Lc. 15, 5), aurias (Ioh. 4, 11), aurire (v. 15), ortulanus (20, 15).

l pro *ll* et *ll* pro *l* ponuntur saepe: milia, vilicus, nolet, loquella (Ioh. 8, 43), quaerella.

p duplicatur: hyppochrita (saepe).

t et *th* confunduntur: tetharcha (Mt. 14, 1; Lc. 3, 1 bis 19), theloneum (Lc. 5, 27).

a pro *e* frequentissima est: dispargentur, dispartiatur.

a pro *o*: parapsidis (Mt. 23, 25).

ae pro *e* saepissime leguntur: interpraetatum (Mr. 5, 41; 15, 34).

ae pro *oe*: faenum, caelum, paenitentia.

e pro *i*: demittet (Mt. 6, 15), demittendi (Mt. 9, 6), demitte (Lc. 2, 29), devertisset (Lc. 19, 7).

e pro *ae*: cecus (saepissime).

i pro *e*: famis (Lc. 4, 25; 15, 14), mercidem (Mt. 6, 2), Iohannis (semper), scabillum (Mt. 22, 44; Lc. 20, 43), aduliscens (Mt. 19, 20. 22; Lc. 15, 12. 13), timite (Lc. 12, 5 bis), decim (Lc. 19, 13. 17).

i pro *y*: sinagoga (Lc. 6, 6; 8, 41), elemosinam (Lc. 11, 41), azimorum, gazophilacium.

o pro *u*: fulgor; *o* pro *au*: clodi.

u pro *o*: aduliscens (Mt. 19, 20. 22; Lc. 15, 12. 13), parabula (8, 9), diabulus (8, 12).

In *compositis* assimilatio negligitur: adlidit, adtulerunt, adimpleretur (Mt. 2, 23), adfectus, adpraehendit, adqvirunt, adlevavit, adnuntiavit, adspersus, adsumens, conburet (Mt. 3, 12), conlocata, conludere, inruit, inlectus, inluserunt, inmobilis, inmunditia, inpone.

Pauca de formationis doctrina et syntaxi videamus:

In *nominibus* invenitur accusativus *em* pro *im*: navem, turrem; *n* pro *m*: caiaphan, iohannen, satanan; *genitivus sing. declinationis* II *i* pro *ii*: fili david (Mt. 1, 1); *decl. I* pro *II:* archisynagogae (Mr. 5, 38), *decl. II* pro *III:* oves gregi (Mr. 14, 27), vaso (Lc. 8, 16); *decl. II* pro *IV:* discubitos (Mr. 12, 39), fructos (Lc. 3, 8), nupto (Mt. 24, 38); *mascul.* pro *neutrum:* iudicium omnem (Ioh. 5, 22), verbum manentem (v. 38), granum sinapis — — maior (Mr. 4, 32), linum fumigantem (Mt. 12, 20); *masc.* pro *fem.:* relicto sindone (Mr. 14, 52); *fem.* pro *neutr.:* purpuream vestimentum (Ioh. 19, 5); *fem.* pro *masc.:* homicidas illas (Mt. 22, 7).

Abl. pro *acc.:* inter principibus (Mt. 2, 6), baptizo — in paenitentia (3, 11), ascendente eo in navicula (8, 23), mittere pacem in terra (10, 34), venit in finibus (15, 39), demergatur in profundo (18, 6), praecedunt in regno (21, 31), accepit aqua (27, 24), post parasceve (27, 62), surge in medio (Mr. 3, 3), in furore versus (v. 21), blasphemaverit in spiritu sancto (v. 29), introivit in corde (7, 19), adsumptus in caelis (16, 19), super responsis (Lc. 2, 47), intraret in sinagoga (6, 6), date — in manu — in pedibus (15, 22), portaretur in sinu Abrahae (16, 22), declinarent vultum in terra (24, 5), reversa in domo sua (1, 56), secedebat in deserto (5, 16), exiit in universa Iudaea (7, 17), intraveritis in quacumque civitate (10, 8), ascendit Hierosolymis (Ioh. 5, 1), accipere eum in navi (6, 21), aetate habet (9, 23), prope civitate (19, 20), propter parasceve (v. 42), traxit in terra (21, 11).

Acc. pro *abl.:* baptiz. in iordanen (Mt. 3, 6), eiecit daemones in principem (12, 24), cum unum oculum (18, 9), vidimus te in carcerem (25, 39. 44), sedeamus in gloriam tuam (Mr. 10, 37), sedentem in stolam candidam (16, 5), baptizati baptismum (Lc. 7, 29), recubuit in domum (7, 37), indigent paenitentiam (15, 7), seditionem factam in civitatem (23, 19), de iudam (Ioh. 6, 72), mansit in Galilaeam (7, 9), sedit in locum (19, 13), remanerent in crucem (19, 31).

Dativ pro *abl.:* misso speculatori (Mr. 6, 27).

Acc. pro *nom.*: panem quem dabo — est (Joh. 6, 52), sermonem non est meum (14, 24).

Nom. sing. pro *acc. plur.:* pes vestros (Ioh. 13, 14).

Pronomen hii pro hi saepe legitur (v. c. Mt. 20, 12. 21).

Neque minus inscitiam sermonis Graeci scriba prodit, voces originis Graecae semper falso scribens v. c. tetharca pro tetrarcha etc.

Colligi igitur potest etiam propter dictionis vitia, codicem aureum vetustae esse aetatis atque ad Italam pertinere.

V.

Codex aureus varias fecit migrationes. Vidimus iam supra, esse in eo tres emendationes, quas indolem scribendi Britannicis insulis propriam prodere, extra omne dubium positum est. Habet etiam duobus locis inscriptiones lingua vetere Anglica (Anglo-Saxonica) conceptas, minorem fol. 1 r., maiorem fol. 11 r. Quorum prior, rudi manu scripta, haec est: «Orate pro ceolheardvr̄ niclas 7ealhhun 7vulfhelm aurifex.» Excitat igitur ad preces pro quattuor illis hominibus faciendas. Vera fortasse est coniectura Georgii Stephens (l. l.) ad antiquius involucrum libri perficiendum aurificis quoque artem adhibitam fuisse et ab ipso hoc homine inscriptionem scriptam esse. Quod nunc adest involucrum, vilis est pretii nec admodum vetus.

Gravioris momenti ad aetatem et migrationes codicis nostri definiendas altera inscriptio est, quae fol. 11 r. legitur. Edidit eam primum mendose M. O. Celsius (l. l. pag. 180), deinde recte et cum facsimili E. Chr. Rask (l. l. pag. 167), denique Georgius Stephens (l. l. pag. 6), cum translatione Svecica, et post eum Westwood cum translatione Anglica (Miniatures No. I). Verba eius haec sunt:

† IN nomine dn̄i nr̄i ihv̄ xpī. Ic aelfred aldormon 7wérburg míngefera begetan ðasbéc æt haeðnū herge mid uncre claenefeo ðæt ðonne wæs mid clæne golde 7ðæt wit deodan forgodes lufan 7for uncre sauleðearf Ond forðon ðewit noldan — Aelfre[d][1])
ðæt ðas halgan béoc lencg Inðære haeðenesse wunaden, 7nuwillað heo gesellan Innto cristes circan gode tolofe 7towuldre 7toweorðunga 7his ðrowuuga toðoncunga, 7ðæm godcundan — Werbur[g][1])
geferscipe tobrucen(ne) ðeíncristes circan dæghwæmlice godes lof ræerað, toðæmgerade ðæt heomon árede eghwelcc monaðe for aelfred 7for werburge 7for alhðryðe heora saulum tó écum lece dome, ðahwile ðegod gesegen haebbe ðæt fulwiht æt ðeosse — Alhðryð
stowe beon mote . . . Écswelce Ic aelfred, dux, 7werburg — eorum
biddað 7halsiað óngodes almaehtiges noman 7ónallra his haligra — [filia?]
ðæt nænigmon seo toðon gedyr(s)tig ðætte ðas halgan beoc áselle oððe áðeode fromcristes circan ðahwile ðe fulwiht stondan mote . . . .

»In nomine domini nostri Iesu Christi. Ego Aelfredus dux et Verburga uxor mea hunc librum a militibus paganis pro praesenti pecunia nostra, quae purum aurum erat, adepti sumus. Et hoc nos duo propter amorem dei et propter salutem animarum nostrarum fecimus, et quia

---

[1]) Litterae novissimae horum nominum ab eo, qui involucrum confecit, abscisae sunt.

sacrum hunc librum diutius inter paganos esse noluimus. Et nunc eum ecclesiae Christi dabimus in laudem, gloriam et honorem dei et propter gratum animum ob cruciatum eius, et in usum sancti sodalitii, quod in ecclesia Christi laudem dei decantat, eo consilio, ut singulis mensibus pro Aelfredo et Verburga et pro Alhðryða orent, ad salutem aeternam animarum eorum, quamdiu coram deo baptismum hoc loco celebratum iri spoponderint. Neque minus ego Aelfredus dux et Verburga in nomine dei omnipotentis et omnium sanctorum eius rogamus et obtestamur, ne quis hunc sacrum librum vendere aut ab ecclesia Christi amovere audeat quamdiu ibi baptismus permanebit. . . . .

Aelfredus. Verburga. Alhðryða (filia?) eorum.

Manifestum igitur est, codicem aureum in Britannia olim fuisse, etsi de loco et tempore siletur. Sed huic rei egregia affulget lux ex duobus epistolis, quae exstant in Codice diplomatico aevi Anglo-Saxonici ed. Kemble Lond. 1839 vol. II pagg. 120 et 96. Quarum maior[1]), quae testamentum Aelfredi ducis habet, in quo, quid de bonis suis fieri velit, iubet, ac magna dona ecclesiae (templo) Christi (cristes circan) aliisque templis et monasteriis donat, ut preces pro eo fundantur, his verbis concepta est:

† Xp̄. Ic Elfred dux hatu writan ⁊ cyðan an ðissum gewrite Elfrede regi ⁊ eallum his weotum ⁊ geweotan . ⁊ ec swylce minum megum ⁊ minum gefeorum . ða men ðe ic mines erfes ⁊ mines boclondes seolest onn. ðæt is ðonne Werburg min wif ⁊ uncer gemene bearn . ðæt is ðonne æt ærestan an Sonderstede ⁊ on Selesdune xxxii hida . ⁊ on Westarham xx hida . ⁊ on Cloppaham xxx hida. ⁊ on Leangafelda vii hida . ⁊ on Horsalege x hida . ⁊ on Netelamstyde vii hida. Ic Elfred dux sello Werburge ⁊ Alhðryðe uncum gemenum bearne . æfter minum dege . ðas lond mid cwice erfe . ⁊ mid earðe . ⁊ mid allum þingum ðe to londum belimpað . ⁊ twa þusendu swina ic heom sello mid ðem londum . gif hit hio gehaldeð mid ðare clænnisse ðe uncer word gecwædu seondan . ⁊ hio gebrenge æt sancte Petre min twa wergeld gif ðet godes wille seo ðæt heo ðæt færeld age; Ond æfter Werburge dæge seo Alhðryðe ða lond unbefliten on Sonderstyde . ⁊ on Selesdune . ⁊ on Leangafelda. Ond gif heo bearn hæbbe . feo ðæt bearn to ðæm londum æfter hiræ . gif heo bearn næbbe. feo ðonne an hire rehtfæderen sio neste hond to ðem londe . ond to ðem erfe . ⁊ swa hwylc minra fædrenmega swa ðæt sio ðæt hine to ðan gehagige . ðæt he ða oðoro lond begeotan mæge . ⁊ wille . ðonne gebycge he ða lond æt hire mid halfe weorðe. Ond swe hwylc mon swa ðæt sio ðæt ðes londes bruce ofer minne dæg on Cloppaham ðanne geselle he cc peninga eghwylce gere to Ceortesege for Elfredes sawle . to feormfultume Ond ic sello Æðelwalde minum suna iii hida boc londes . ii hida on Hwætedune . anes hides an Gatatune . ⁊ him sello ðærto c swina .

[1]) Exstat quoque cum translatione Anglica in B. Thorpe: Diplomatarium Anglicum aevi Saxonici Lond. 1865 pag. 480 et in Georgii Stephens (l. l. pag. 8 cum translatione Svecica).

7 gif se cyning him geunnan wille ðes folclondes to ðæm boclonde . ðonne habbe 7 bruce. gif hit ðæt ne sio . ðonne selle hio him swa hwaðer swa hio wille . swa ðet lond on Horsalege . swa ðet an Leangafelda; Ond ic sello Berhtsige minum mege an hide boclondes on Læncanfelda . 7 ðærto c. swina . 7 geselle hio c. swina to Cristes cirican for me . 7 for mine sawle . 7 c to Ceortesege . 7 ðone oferecan mon gedæle gind mynsterhamas to godes ciricum in Suðregum . 7 in Cent . ða hwile ðe hio lestan willen; Ond ic sello Sigewulfe minum mege . ofer Werburge dæg . ðæt lond an Netelhamstyde . Ond Sigulf geselle of ðem londe . c peninga to Cristes cirican. Ond eghwylc ðara erfewearda ðe æfter him to ðæm londe foe . ðonne ageofen hio ða ilcan elmessan to Cristes cirican for Ælfredes sawle . ða hwile ðe fulwiht sio . 7 hit man on ðæm lande begeotan mæge; Ond ic sello Eadrede minum mege ðet lond on Fearnlege æfter Æðelredes dæge . gif he hit to him gearnian wile . 7 he geselle of ðem londe xxx (sestra) cornes æghwelce gere to Hrofescestre. Ond sio ðis lond gewriten 7 unbefliten æfter Eadredes dæge in Ælfredes reht meodrencynn ða hwile ðe fulwihte sio on Angelcynnes ealonde. Ðeos foresprec . 7 ðas gewriotu . ðe her beufan awreotene stondað . ic Ælfred willio . 7 wille ðæt hio sion soðfæstlice forðweard getrymed me 7 minum ærfeweardum. Gif ðæt ðonne god allmæhtig geteod habbe . ond me ðæt on læne gelið ðæt gesibbra ærfeweard forðcymeð wepnedhades . 7 acenned weorðeð . ðanne ann ic ðæm ofer minne dæg alles mines erfes to brucanne . swa him leofust sio; And swa hwylc mon swa ðas god . 7 ðas geofe . 7 ðas gewrioto . 7 ðas word . mid rehte haldan wille . ond gelestan . gehalde hine heofones cyning in ðissum life ondwardum . 7 eac swa in ðæm towardan life; Ond swa hwylc mon swa hio wome . 7 breoce . gewome him God almahtig his weorldare ond eac swa his sawle are;

Her syndon ðæra manna naman awritene ðe ðeosse wisan geweotan sindon.

† Ic Æðered ar.bisc. mid ðære halgan Cristes rode tacne ðas word 7 ðas wisan fæstnie 7 write. Ælfred dux. Beorhtuulf dux. Beornhelm abb. Earduulf abb. Werburg. Sigfred pr. Beonheah pr. Beagstan pr. Wulfheah. Ædelwulf pr. Earduulf pr. Beornoð diac. Wealdhelm diac. Wine sb diac. Sæfreð. Ceolmund m. Eadmund m̄. Eadwald m̄. Siguulf m.

Nonnulla in hoc testamento obscura sunt et difficilia interpretatu, sed quae ad quaestionem de codice aureo pertinent, nullam habent difficultatem. Conatus sum latine convertere adiutus Georgii Stephens translatione Svecica.

»In nomine Christi. Ego Aelfredus dux scribo et per has litteras Aelfredo regi et omnibus viris et senatoribus eius item cognatis et amicis meis eos homines indico, quibus hereditatem meam et praedia mea praecipue concedi volo; sunt autem Verburga uxor mea et filia nostra communis. Primum igitur apud Sonderstede et apud Selesdune XXXII hida (coria) sunt, et apud Westarham XX hida et apud Cloppaham XXX hida et apud Leangafeld VII hida et apud Horsalege X hida et apud Netelhamstyde VII hida.

Ego Aelfredus dux Verburgae et Alhðryðae filiae nostrae communi post obitum meum haec praedia dono cum armentis et agris et omnibus rebus eo pertinentibus. Simul cum his praediis duo millia porcorum eis dono, ita quidem si in ea sinceritate (caelibatu) vivet, de qua inter nos convenit, et Sancto Petro duo mea »vergeld« (compensationem pro cæde hominis?) dabunt, si volente deo hanc »fereld« meam (pecuniam obitus s. mortis?) obtinebunt. Et post obitum Verburgae haec praedia apud Sonderstyde et apud Selesdune et apud Leangafelda Alhðryða sine controversia sumat. Et si ei partus continget, haec praedia post obitum eius sumat is, qui ex ea nascetur. Si partus non continget, proximus ex vera gente paterna eius heres haec praedia cum rebus eo pertinentibus sumat, et deinde cuicumque ex paterna gente mea facultas erit aliorum quoque praediorum emendorum, is haec praedia dimidio pretii solvat. Et quicumque praedio apud Cloppaham post obitum meum utitur, quotannis cc »peninga« Cortesegiae det pro anima Aelfredi ad victum cultumque. Et dono Aeðelvaldo, filio meo, III hida praedii, II hida apud Hvaetedune et I hida apud Gatatune; praeterea C sues ei do. Et si praeter hoc praedium rex agrum publicum ei concedet, hunc quoque possideat et eo utatur; si vero hoc non fiet, dent ei utrum velint, sive praedium apud Horsalege sive apud Leangafelda. Et do Berhtsigo cognato meo I hida praedii apud Laencanfelda itemque C sues; et det is ecclesiae Christi C sues pro me et pro anima mea et Ceortesegiae C; et quod reliquum est, per monasteria distribuatur ecclesiis Suðregiensibus et Cantianis, quamdiu hae manent. Et do Sigevulfo cognato meo post obitum Verburgae praedium apud Netelhamstyde, et Sigulfus ex hoc praedio C »penninga« ecclesiae Christi dabit, et quisquis heres post eum hoc praedium acceperit, ecclesiae Christi eandem eleemosynam pro anima Aelfredi dabit, quamdiu baptismus celebrabitur et summa pecuniae ex hoc praedio accipietur. Et Eadredo, cognato meo, praedium apud Fearlege post obitum Aeðelredi do, si ea re dignum se reddet; isque ex eo praedio quotannis XXX [sestra] frumenti Hrofescestriae dabit. Et inscribatur agnoscaturque post obitum Eadredi hoc praedium verae gentis maternae Aelfredi esse, quamdiu baptismus in insula Anglorum celebrabitur. Hoc pactum et hae litterae, quae supra scriptae sunt, meam Aelfredi voluntatem continent, easque mihi atque heredibus meis posthac immutatas confirmari volo. Sed si deo omnipotenti placebit aliquando fore, ut mihi masculus heres genuinus oriatur ac nascatur, huic ego post obitum meum totam hereditatem meam concedo, quo modo ipsi placebit, fruendam. Et quicumque has possessiones et haec dona et has litteras et haec verba recte servabit et exsequetur, hunc rex caelorum in praesenti hac vita et in futura conservet! Sed quicumque ea evertet aut franget, huic deus omnipotens felicitatem et animae honorem evertat!

Hic nomina eorum virorum scripta sunt, qui huius rei testes sunt.

Ego Aeðeredus archiepiscopus signo sanctae Christi crucis haec verba et has litteras confirmo et subscribo. Aelfredus dux. — Verburga etc.«

Compara iam haec verba cum inscriptione in codice aureo; apparebit haud dubie, utrumque Aelfredum ducem unum eundemque esse:

In codice aureo:	In testamento:
Aelfred aldormon }	Ælfred } dux
Aelfred dux }	Elfred } dux
Verburg min gefera	Verburg min vif
Alhðryð eorum [filia?]	Alhðryð uncer bearn

et porro:

cristes circan ða hvile	cristes cirican ða hvile
ðe fulviht stondan mote	de fulviht sio

Rectissime observavit Georgius Stephens (l. l. pag. 14), non posse facile duos viros cogitari eiusdem amplissimae dignitatis, eiusdem nominis, uxores cognomines, filiamque unicam eiusdem nominis habentes, utrumque divitem, pium et erga ecclesias liberalem. Commemorat sane testamentum filium Aelfredi ducis Aeðelvaldum, cuius in inscriptione codicis aurei nulla mentio fit. Sed summo iure G. Stephens, qui primus inscriptionem in codice aureo cum testamento comparavit, hunc Aeðelvaldum filium spurium fuisse arbitratur; Aelfredus dux enim »minum suna« (filium meum) eum appellat, quum in testamento, ubi tam suo quam Verburgae nomine loquitur, Alhðryðam »uncum gemenum bearne« (communem filiam nostram) appellet: porro Aeðelvaldo parva tantummodo bonorum paternorum pars datur (3 hida et centum porci), at Alhðryðae filiae 106 hida et duo millia porcorum. Praeterea enixe optat Aelfredus, ut nascatur sibi mascula proles, id quod absurdum esset, si Aeðelvaldus filius genuinus fuisset. Sed quoniam in inscriptione nulla fit Aeðelvaldi mentio, potest fortasse, ut opinatur G. Stephens, inscriptio illa scripta esse, adeoque codex aureus ecclesiae Christi donatus, antequam natus erat Aeðelvaldus; alioquin enim in inscriptione haud dubie commemoratus fuisset, ut precum ibi commemoratarum et ipse particeps fieret.

Iam vero, si unus idemque Aelfredus dux et inscriptionis et testamenti auctor est, aetas quoque testamenti parva opera investigari potest; est enim ad regem Aelfredum scriptum et ab Aeðeredo archiepiscopo subscriptum, itaque eo tempore emissum, quo et regnavit Aelfredus rex et archiepiscopi munere Aeðeredus fungebatur; unde efficitur, recte a Kemble aetatem inter annum 871 et 889 constitutam esse[1]).

Etiam in altera illa epistola, in qua simili modo dona dantur ecclesiae Christi (Cristes circan), Aelfredus dux et Aeðeredus archiepiscopus commemorantur, nisi quod Ethelred scriptum est pro Aeðered. Initium eius in antiqua translatione Anglica (autographus Anglo-Saxonicus deest) hoc est:

»In nomine domini IC Elfred dux and Ethelred archebiscop and þo higen at Cristes cheriche habbez wise ared embe þet land at Chertham þet is þanne þet Elfred efter his dage hauez bequeþe þet land at Chertham in to þan higen etc.«

---

[1]) Aelfredus rex regnavit ab anno 871 ad obitum suum 901. Aeðeredus (Aethelredus) archiepiscopi munere fungebatur ab anno 870 ad mortem 888 aut 889. (vide Chron. Anglo-Sax. ed. B. Thorpe I. pag. 134. 137. 140—41; 158—59; 182—83).

In omnibus tribus his monumentis, inscriptione et duobus epistolis, Aelfredus dux et »Cristes circe« commemoratur, et in duabus illis epistolis Aethelredus archiepiscopus. Is autem nullus alius esse potest, quam Aethelredus archiepiscopus Cantuariensis. Sed in testamento tantummodo commemoratur Aelfredus rex. Et in epistolis multa nomina scripta sunt, quae omnia vel hodie haud procul a Cantuaria adsunt aut agnoscuntur, ut Cent et Suðrige (Surrey); in Kent: Hrofescestre (Rochester), Vestarham (Wester, ham), Chertham (Chartham), Leangafelda (Longfield); in Surrey: Sonderstede (Sanderstead), Selesdune (Selsdon), Netelhamstyde (Nettlehamsstede), Horsalege (Horsley), Cloppaham (Clapham), Ceortesege (Chertsey), Gatatune (Gatton), Fearnlege (Fearley), Hvætedune (Wotton[1]). »Cristes cirice« igitur templum cathedrale Cantuariense antiquius est, quod, ut observat G. Stephens (l. l. pag. 14 nota) saepe in diplomatis veteribus Anglicis (Anglo-Saxonicis) hoc nomine appellatur[2]). Sequitur ergo Aelfredum ducem codicem aureum templo cathedrali Cantuariensi antiquo paulo ante annum 871, aut paulo post donavisse; eo enim anno rex Aelfredus regnum iniit.

Quae post id tempus de codice aureo sciri possunt, Ioanni G. Sparvenfeldt Sveco debentur, cuius haec sunt verba:

»Preciosissimum hunc evangeliorum codicem emi ex famosa illa bibliotheca Ill$^{\underline{mi}}$ Marchionis de Liche Mantuae Carpent. A^{o}. 1690, d. 8 Jan. Ego Ioannes Gabriel Sparvenfeldt Nob. Svecus.«

Sparvenfeldt (natus 1655 Amaliae (Åmål) in oppido Sveciae, obiit 1727), magnae doctrinae vir, quum primum, bello captus, in Norvegia 1677—1678 commoratus esset ibique codices Mscrptos antiquos Norvegicos conquisisset, deinde a Carolo XI, rege Sveciae, apud quem ceremoniis aulicis praeerat, per totam Europam atque adeo in Africam ad codd. Mscptos quaerendos missus est[3]). Is igitur ex bibliotheca Marchionis de Liche

---

[1]) Vide »Imperial Gazetter« et interpretationem testamenti Anglicam (Thorpe l. l.).

[2]) »Cristes cirican« s. »ecclesiam Christi« nomen, non appellationem esse certissime constat. »Cristes cirican« s. »ecclesiam Christi«, mentione loci non facta, in diplomatis 42 veteribus Anglicis (Anglo-Saxonicis) ex annis 805—1062 legimus (vid. Cod. dipl. aevi Anglo-Sax. ed. Kemble voll. I—V Lond. 1839—47 et Diplom. Anglic. ed. B. Thorpe Lond. 1865). — »Ecclesiam Christi Cantuariæ civitatis« s. »ecclesiam Christi, quae sita est in Dorovernia (i. e. Cantuaria) civitate«, s. »to Cantvarabyrg to cristes cirican« s. »cristes cirican on (æt) Cantvarebyrg« legimus in 22 diplomatis veteribus Anglicis (Anglo-Saxonicis) ex annis 616—1053 (vid. Kemble et Thorpe l. l.) et in Chron. Saxonic. ed. B. Thorpe pagg. 244. 290. 302. 313. In »Die Gesetze der Angelsachsen« ed. Dr. R. Schmidt, Lips. 1858 pag. 384 »Cristes cirice« falso translatum est »eine christliche Kirche«. — »Cristes cirice« Cantuariæ incendio deleta est 1066—67 et restituta 1130. (Chron. Sax. pagg. 330. 340. 380).

[3]) Sparvenfeldt iam iuvenis peregre profecturus, quum in Britanniam cursum tenderet, a classe Dano-Norvegica captus est et in Norvegia octo menses commorans codices antiquos Norvegico-Islandicos collegit. A paroecho Nicolao Halvardi in paroechia Gjerpen apud oppidum Skidam codicem Norvegicum legis Magni regis »Lagabœter« (Borgarthingslög) 1677, et Skidae a Margareta femina nobili, filia Wolfgangi, codicem alium legis Magni (»Gulathingslög«) 1678 adeptus est. Postea Gothoburgo nave Anglica proficiscens vento in Bataviam eiectus Galliamque et Italiam perlustrans, Romam quum venisset, aditum Christinae, olim reginae Sveciae, conveniendi nactus est. In patriam regressus inde Moscoviam Legatus Sveciae profectus linguae Slavonicae cognoscendae operam dedit et lexicon Slavonicum scripsit, quo facto denuo Holmiam revertit 1687. Deinde anno sequente in terras exteras, codicum ad res Svecicas pertinentium quaerendorum causa,

Mantuae Carpent. (h. e. Madridae) codicem aureum emit, et cum 96 aliis monumentis bibliothecae regiae Holmiensi donavit[1]). Qui factum sit, ut contra voluntatem et obtestationem Aelfredi ducis codex aureus Cantuaria Madridam perveniret, prorsus incertum est. Potest in mentem venire temporis post 1367, quo tempore filius regis Edvardi III Edvardus (»princeps niger«) per aliquot annos cum copiis Britannicis bella in Hispania gerebat, aut temporis inter annos 1554—58, quum regina Anglica Maria regi Hispanico Philippo II. nupta esset; his enim temporibus frequens haud dubie inter Britanniam et Hispaniam, etiam summi ordinis virorum, commercium fuit. Sunt tamen hae merae coniecturae.

Alia est coniectura Liliebladii (l. l. pag. 3) et Celsii (l. l. pag. 179), codicem aureum eundem esse, quem duobus locis commemorat Erasmus Rotterodamus (Novi T. adnot. Basil 1540, præf. et pag. 2), »totum auro convestitum«, »insignem totum aureis conscriptum litteris«, quem Margaretae, Caroli V imperatoris amitae, fuisse, et Mechlineae servari dicit, eoque se ad editiones suas Novi Testamenti usum esse. Ios. Blanchinus quoque codi-

---

missus Germaniam, Bataviam, Galliam, Hispaniam peragravit — Tunetem venit. Unde in Galliam redux denuo Romam quum venisset, Innocentio XII Papae lexicon suum Slavonicum ostendit, et veniam thesaurorum manu scriptorum bibliothecae Vaticanae perscrutandorum liberaliter nactus patrios lares denuo repetivit 1694. Codd. permultos Arab., Pers., Turc., Armen., Syr., Copt., Graec., Slav., Latin., Gall., Hisp. etc. bibliothecae universitatis Upsaliensis donavit. Ibidem lexicon eius Slav. manu scriptum asservatur. Is et Fred. Rostgaard, vir doctus nobilis Danus, multique alii viri docti litteras inter se miserunt. Peritus linguarum 14 loquendarum et scribendarum erat (vide Biogr. Lexicon Stckh. 1848 XV, Nyerup »Reiser til Stckh.« Kbhvn. 1816).

[1]) Mantua Carpent. est Madrida (vide Bischoff u. Müller: »Vergleichendes Wörterbuch etc.« Gotha 1829), Chr. Molbech quoque (l. l. pag. 81) Madridam esse putat, Stephens Mantuam Italiae (l. l. pag. 15). Mentio de Mantua Carpetanorum in Hispania haud procul a Compluto et Toleto facta est a Cl. Ptolemaeo Geogr. lib. II c 5. In »Delices de L'Espagne etc.« editore A. de Colmenar, Leyde 1715 pag. 242, Marchio de Liche commemoratur vir divitissimus et potentissimus Madridae habitans, aequalis Philippo regi IV, qui regnavit 1621—1665; filius erat summi ministri huius regis Ludovici de Haro. Verba in hoc libro haec sunt: »Le Marquis de Liche fils de Louis de Haro premier ministre de Philippe IV a bâti une maison près du Palais royal, qui surpasse toutes les autres maisons particulières pour la grandeur et pour les richesses. Elle serait encore plus superbe, si Philippe IV. qui ne voulait pas souffrir une maison si belle et si riche trop près de son Palais n'eût ordonné au Marquis de retrancher de son dessein.«

Mentio de Marchione de Liche (sive de Heliche) et emptione librorum ex bibliotheca eius per Sparvenfeldum Madridae facta etiam est in epistola Sparvenfeldii ad Carolum XI regem data Madridae 8 Martii 1690 (ubi dicit se scripsisse antea epistolam datam Madridae 9 Decembris 1689): »Så har jag dock icke heller aldeles förlorat tiden, emedan jag uti de raraste bibliotheken, särdeles ur Marqvis de Heliches, vice Roi öfver Neapolis efterlåtne skrifter något ansenligt funnit och således 8 kistor fulle nu här i Madrid lemnar til vidare ordres och kanske til närvarande conjuncturers til förändring, såframt jag ingen lägenhet finner them til Lisabona til E. K. Maj:ts Consul och sedan med svenska saltskiepp til Stockholm at öfversenda.« — »Et Missale Gothicum som för des rarhets skull är uti högt värde och för peningar icke köpas kan, har Cardinalen och Ärche-Biscopen af Toledo lofvat med tiden upsökia låta och E. K. Maj:t förähra«. Parum constat num hoc factum sit (vide Schröderii Itinera et labores Sparvenfeldii pag. 17—18). Marchio de Liche (vel de Heliche) idem fortasse est, cuius nomen erat Casparus de Haro y Gusman, qui filius maximus natu erat ministri Don Luis Mendes de Haro (nat. 1599, ob. 1661); erat minister Cancellarius summus Indiae, Legatus Romae, Vice rex Neapoli, obiit 1687. Erat ei unica filia Katharina Marchionissa de Caprione et Loches, Comitissa de Olivares et Morente Ducissa de Mantora, nupta Francisco de Toleto (vide v. Stramberg in Ersch und Grubers Encyklop. I. 1. 2). Ea fortasse partem bibliothecae patris vendidit.

cem ab Erasmo adhibitum commemorat (l. l. II. 595), sed alium esse arbitratur; consentitque cum eo G. Stephens, quod codex aureus et Latinus Erasmi contextus nimis inter se dissentiant. Hoc tamen argumentum nullius momenti est; Latinam enim translationem suam Erasmus ex Graeco ipse perfecit. Quare, etsi fieri quidem potest, ut uterque codex idem sit, incerta tamen res est. Si re vera idem est, colligi posset, codicem aureum, quum in possessione potentis familiae regiae Austriacae, Belgicae, Hispanicae esset, Mechlinea Madridam perlatum esse, nisi obstaret quaestio, quomodo Cantuaria Mechlineam pervenisset, ad quam quaestionem nihil potest, quantum videtur, responderi.

VI.

De patria codicis aurei difficile est pro certo definire. Quod Cantuariae saeculo nono adfuit, neque minus, quod figurae animalium et avium artificiosaeque illae litterarum connexiones, quae in codice aureo fol. 11 r. et circa imagines duorum evangelistarum atque in canonibus Eusebii exstant, similes sunt sculptis illis et pictis ornamentis, quae in pluribus monumentis veteribus Britannicis Hibernicisqve conspiciuntur, coniici posset, esse eum in insulis Britannicis scriptum. Non desunt tamen, quae huic coniecturae obstent. In omnibus enim codicibus sacrae scripturae uncialibus, qui in insulis Britannicis scripti esse putandi sunt[1]) praecipue conspicuae sunt litterae longiusculae et acutae, nec nisi in paucis diplomatis veteribus Anglicis (Anglo-Saxonicis) scriptura apparet ei, quae in codice aureo exstat, similis (Kemble l. l. I). Contra codex aureus propter ornamenta sua luxuriosa atque colorem purpureum et litteras magnas, rotundas, nitidas tantam habet similitudinem cum multis codicibus, qui ex Italia profecti esse putandi sunt, v. c. codicibus Italae a, b, e, f, i, j (h. e. codd. Vercell., Veron., ev. Palatin., Brix., Vindob., Zarz.), codice Vulg. Perus. psalterio San-Germanensi[2]), cod. argenteo Gothico Upsaliensi, ut potius ex Italia oriundus esse existimandus sit, ita tamen, ut particulae illae, quae recentiore manu scriptae sunt, in insulis Britannicis additae esse videri possint. Aelfredus dux codicem aureum a militibus paganis emerat, qui quominus alicubi in Italia[3]) aut in insulis Britannicis eum rapuisse putentur, nihil est, quod impediat; eo autem a nuntiis ecclesiasticis Romanis perlatus esse putari potest. Quod si propter similitudinem figurarum, in codice aureo pictarum, cum iis, quae in insulis Britannicis deprehenduntur, de origine

---

[1]) cfr. Westwood: Palaeographia Sacra Lond. 1845, eiusdemque »Miniatures« Lond. 1868, cod. evangeliorum Graeco-Latinus Sangallensis Δ (ed. Rettig Turici 1836), eidemque additus codex Graeco-Latinus epistolarum Pauli G. Boernerianus (cum adnotatione Hibernica), qui Dresdae asservatur (ed. Matthaei Misenae 1791), uterque saeculi noni.

[2]) vide Silvestre »Paléographie universelle«. Par. 1836 II.

[3]) Non dubium est quin milites isti piratae septentrionales Dani aut Norvegici fuerint, qui temporibus istis in oris maritimis Britanniae, Galliae, Hispaniae, etiam Italiae praedabantur.

Anglica aut Hibernica cogitas, possunt fortasse eae a pictore quodam Anglico aut Hibernico, qui in Continenti commoratus est, additae esse; quod si est, potissime in mentem venit monasterii Bobiensis, quod a Columbano aliisque monachis Hibernicis conditum esse constat, ut ibi igitur codex noster scriptus sit.

VII.

Restat, ut de aetate codicis nostri pauca dicamus. Vidimus iam, terminum ad quem ex vetere Anglica illa Aelfredi ducis inscriptione, cum testamento eius comparata, pro certo definiri posse; esse enim eam haud multo ante 871 aut brevi post scriptam, siquidem eo anno rex Aelfredus regnum iniret. Verum etiam ad terminum a quo inveniendum vestigia nonnulla adsunt. Necesse enim est, ut monet G. Stephens, codex, antequam ab Aelfredo duce emeretur, dum in manibus christianis et paganis esset, varios casus subierit, id quod haud parvum temporis spatium indicat, itaque non procul a vero abesse videtur, quod arbitratur Stephens, esse eum saeculo sexto aut septimo scriptum. Praeterea, quum a prima manu duplicem habeat divisionem, in sectiones Ammonii cum canonibus Eusebii, et in τιτλους, »breves«, cum horum numeris et notis, per se apparet, esse eum scriptum, postquam hae divisiones in usu esse coepissent. Et Eusebii quidem canones ab Eusebio Caesareensi medio saeculo quarto institutos esse, testes sunt Caesarius (in dialogo), Epiphanius (in Ancorato), Hieronymus (in ep. ad Damasum papam). De »brevibus« incertior est res. In antiquissimis duobus Graecis librorum sacrorum codicibus nunc cognitis (א Sinait. Petropol. et B Vatican. Roman.), quorum uterque saeculo quarto scriptus est, non inveniuntur, sed in proximis duobus (A Alexandr. Londin. et C Ephraem. Syr. Paris.), quorum uterque saeculo quinto scriptus est, iam adsunt, nec quidquam obstare videtur, quin aut hoc tempore aut paulo post codex aureus scriptus sit. Certe membrana purpurea, eius vile genus, luxuriosa ornamenta aurea et argentea, antiqua atque vulgaris dictio, omissae suprascriptiones et subscriptiones, magna et nitida scriptura uncialis, scriptio continua, nullae litterae maiusculae initiales, nulla interpunctio, nullus stichometriae usus [1]), paucissima compendia scribendi, haec omnia provectam aetatem testantur. Et omissa quidem stichometria vel maxime testari posse videtur, codicem aureum haud multo post tempus supra indicatum scriptum esse, antequam stichometria vulgo adhiberi coepta esset. Stichometriae autem, ut constat, auctor Euthalius est, diaconus Alexandrinus, qui primum anno 462 Acta apostolorum (cfr. de Wette Einleit. § 20) et haud dubie paulo post evangelia quoque in stichos divisit.

[1]) Nonnulis locis scriba singulos versus totos primum oblitus est scribere, deinde hos litteris parvulis scripsit. Hi et alii codicis versus eadem longitudine sunt. Ex hoc apparet, codicem aureum scriptum esse secundum codicem quendam, qui versus eiusdem longitudinis, igitur nullum stichometriae usum habuit.

Stichos constat, quum in nullo ex quatuor illis, quos supra commemoravimus, totius novi testamenti codicibus graecis saeculi quarti et quinti exstent, in codicibus Graeco-Latinis D Bezae Cantabr. et D Claromont. Par. iam adesse, quorum uterque saeculi sexti est, ac prior evangelia et Acta, posterior epistolas Pauli continet, itemque in antiquissimis duobus Vulgatae codicibus, Amiatino Florentino et Fuldensi, quorum uterque circa annum 545 scriptus est; postea autem in codd. Graecis et Latinis vulgo adhibentur. Et quamquam fieri quidem potest, ut non continuo stichometria ubique in codicibus adoptata sit, et vetus consuetudo interdum servaretur, verisimillimum tamen est, pro minus commoda scriptura continua mox commodius hoc adminiculum vulgo adhibitum esse. Quod si e Bobio ortum habet codex aureus, paulo post conditum hoc monasterium circa annum 610 scriptus est. Sequitur ergo, originem eius ad id tempus referendam esse, quod inter extremum saeculum quintum et iniens saeculum septimum interiacet[1]).

Apparet, opinor, ad textum evangeliorum constituendum codicem aureum non minus, quam ceteros omnes Italae codices, non levis momenti esse, et propter antiquam dictionem philologorum quoque studiis haud parum adiumenti afferre. Ad integritatem quod attinet, ceteros omnes, quotquot innotuerunt, Italae codices superat praeter solum codicem Colbertinum, qui evangelia propemodum prorsus integra habet; sed is multo recentior est, saeculo undecimo aut duodecimo scriptus. De affinitate codicis aurei cum aliis codicibus Italis et translatione Vulgata vide adiunctam collationem.

Non possum hanc praefationem finire, nisi antea et facultati theologicae universitatis Christianiensis et collegio academico, administratoribus sectionis Norvegicae societatis Letterstedtianae gratissimum animum testatus ero ob egregiam benevolentiam, qua me ad hoc opus perficiendum et commendatione sua et stipendio adiuverunt, ut ter Holmiam proficiscerer codicem perscrutandi causa. Societati quoque scientiarum Christianiensi, quae partem sumptuum ad editionem evulgandam suppeditavit, non minores gratias ago. Neque minus impensas gratias iis viris ago, quorum et consilio et praestita opera usus sum, inprimis professoribus Christianiensibus, Caspari, C. M. Aubert, Unger, F. W. Bugge, professori Havniensi Georgio Stephens. Virisque Holmiensibus, summo bibliothecae praefecto Klemming, custodibus et amanuensibus ob praestitam mihi benevolentiam gratias maximas ago[2]).

---

[1]) Huic rationi non obstat tonsura, quae in imaginibus evangelistarum Matthaei (vide Tab. III), et Ioannis adhibitita est. Haec, quamquam in concilio Carthaginiensi anno 398 vetita, a clericis tamen adhibebatur, ac sexto tandem saeculo a Papa imperata est in Italia et in concilio Toletano anno 633 (Neudecker in Herzogs »Real-Encyclopädie«).

[2]) Digna quoque maxima laude est industria eorum, qui bibliothecae regiae Holmiensi praesunt, qua, quamquam exeunte anno 1877 bibliotheca tota circ. 200,000 librorum e priore domo aulae regiae in aedes novas magnificasque transportata est, vel hoc tempore mihi aliisque, quibus bibliotheca uti opus erat, nullum laboris impedimentum erat.

Denique Deum optimum maximum, cuius ad hodiernum usque diem perpetuam expertus sum benignitatem, enixe precor, hos quoque conatus meos favore suo amplectatur, ut uberes inde fructus capiant, quicumque in textu librorum sacrorum investigando pia mente versantur!

Christianiae pridie non. Mart. MDCCCLXXVIII.

Ioannes Belsheim.

Collatio

codicis aurei cum Vulgata (ed. Tisch.) codicibusque Italae antea editis ac nonnullis mixtis nec non paucis quibusdam codicibus Novi T. Graecis et Patribus. — Merae transpositiones verborum hic omissae sunt. Vulgata »vg.«, codex aureus »aur.«, gigas librorum Holmiensis »γ« (nondum editus, ad quem aliqua ex parte edendum me praeparo) signatus est[1]).

Matth.

C 1, 5 vulg. obed aur. *obeth* cum c f. — V 7. 8 vg. asa, aur. *asaf* c. c k γ. — V 14 vg. sadoc aur. *saddoc* c. c f f^1. — V 17 aur. (deest) — V 18 vg. desponsata aur. *dispons.* c. f. — V 19 vg. dimittere aur. *demittere.* — V 23 vg. in utero habebit, aur. in *utero accipiet* (a b c f^1 Tert., concipiet). — V 25 vg. cognoscebat, aur. *cognovit* c. a b c d f f^1.

C 2, 6 vg. in princ. iuda, aur. *inter* principibus iuda c. a b c d f (qvi habent principes). — V 6 vg. (var.) reget, aur. *regat* c. a b c d f. — V 8 vg. et mittens illos in bethl. dixit ite . . . . aur. *et misit* illos in bethlehem *dicens* ite . . . . — V 8 vg. inveneritis, aur. inveneritis *eum.* — V 11 vg. procidentes, aur. *procedentes* c. a. — V 11 vg. matre eius, aur. matre *sua* c. d. — V 12 vg. per aliam viam, aur. *sed* per aliam. — V 21 vg. (var.) qui surgens, aur. qui *con*surgens.

C 3, 4 vg. locustae, aur. *lucusta* c. a c f l. — V 5 vg. hierosolyma, aur. *ex* hierosolymis c. b g^1 (ab hier.). — V 10 vg. mittetur, aur. *mittitur* c. d.

C 4, 5 vg. asumit, aur. *adsumpsit* c. b c f f^1 h k l δ. — V 10 vg. dicit ei iesus, aur. dicit *illi* iesus c. a k (h). — V 14 vg. prophetam,

---

1) Signis et compendiis solitis utimur: **a** codex Vercellensis, **b** codex Veronensis, **c** codex Colbertinus, **d** codex Bezae Cantabrigiensis Latin., **e** evangelium Palatinum, **f** codex Brixianus, **f^1 f^2** codices Corbeienses, **g^1 g^2** codices Sangermanenses, **h** codex Claromontanus Romae, **i** codex Vindobonensis, **k** codex Bobiensis, **l** codex Rhedigeranus, **δ** codex Sangallensis, **for.** Forojuliensis, **per.** Perusinus, **gat.** Gatianus, **mm.** Maioris monasterii. Retulimus hic **a b f f^1** secundum Evangeliarium quadruplex a Jos. Blanchino editum Romae 1749 (denuo a Migne Parisiis 1845); **b** et aliquot locos Patrum secundum Bibl. sacr. antiq. versiones ed. a Petro Sabatier Par. 1751; **d** sec. editionem Scriveneri Cantabr. 1864; **e** sec. editionem Tischendorfii Lips. 1847; **h** ex Scriptt. vet. nova coll. ed. A. Mai Romae 1828; **i** sec. editionem Alteri in Pauli Repertorio 1791 et eius Memorabiliis 1795; **k** sec. editionem Tischendorfii in »Wiener Jahrbücher« 1847; **l** sec. editionem Haasii Vratislaviae 1865—66; **δ** sec. editionem Rettigii Turici 1836. Cetera retulimus secundum opus Petri Sabatier supra memoratum. Versiones antiquae N. Testamenti: Syra Cur. ed. Cureton Lond. 1858, Anglo-Saxonica ed. Marshall Dordrechti 1675, Aethiopica ed. Th. Platt. Lond. 1830, Armenica ed. Paris 1825, porro editiones codicum: ℵ Sinaitici a Constantino Tischendorf evulgati 1863 et 1865, B. Vaticani ab eodem ed. 1867 et D Bezae Cantab. Graec. a Scrivenero evulgati 1864 ad manum mihi erant et interdum relatae sunt.

aur. prophetam *dicentem* c. c d f^1 k. — V 22 vg. illi autem statim relictis retib. etc., aur. *at illi continuo* relictis retibus c. f f^1 (et patre om.).

C 5, 5 vg. lugent, aur. *lugunt* c. f h; aur. (add.) *nunc* c. gat. — — V 14 vg. lux mundi, aur. lux *huius* mundi c. a b c g^1 h γ. — V 15 vg. super candelabrum, aur. *supra* cand. c. b c d f l δ. — V 35 vg. scabellum, aur. *scabillum* c. b. — V 40 vg. (var.) et illi qui, aur. et *ei* qvi, c. b c f f^1 g^1 k l γ, vg. remitte ei, aur. remitte *illi* c. c h. — V 42 vg. et volenti mutuari, aur. et *volentem* quid mutuari. — V 43 vg. odio habebis inim., aur. *odies inimicum* c. a b c d f f^1 g^1 k l δ γ gat. for. mm. — V 44 vg. calumniantibus vos, aur. cal. *vobis* c. c f f^1. —

C 6, 4 vg. qvi videt in abscondito, aur. qv. v. in *absconso* c. a b f g δ gat. mm. for. — V 6 vg. in abscondito (bis), aur. in *absconso* (bis) c. a b f f^1 g γ for. — V 8 vg. petatis eum, aur. petatis *ab eo* c. c g^1 Aug. — V 11 vg. panem nostrum supersubstantialem, aur. p. n. *cotidianum* c. a b c f f^1 g h k l γ gat. mm. Tert. Cyp. Aug. et pl. — V 12 vg. et dimitte nobis, aur. et *remitte* nobis c. a h k. — V 15 vg. si autem, aur. si *enim* c. f k. — V 18 vg. in abscondito (bis), aur. *in absconso* (bis) c. a b f f^1 g h γ gat. for. — V 23 vg. tenebrae quantae, aur. *ipsae* tenebrae qv. c. b f f^1 h l δ γ. — V 24 vg. diliget, aur. *diligit* c. f^1 l. — V 25 vg. manducetis, aur. mand. *aut quid bibatis* c. c f g h δ γ; vg. corpus plus qvam, aur. corpus quam c. a h. — V 28 vg. nent, aur. *neunt* c. a b f h l. — V 29 vg. quoniam, aur. *quia* c. a f k. — V 30 vg. (var.) minimae fidei, aur. *modicae* fidei c. a b f k. — V 31 vg. quo operiemur, aur. quo *vestiemur* c. c h k. — V 34 vg. sufficit diei, aur. sufficit *enim* diei c. c h.

C 7, 12 vg. homines, et, aur, homines *bona ita* et c. a b c g (h) k (γ). — V 15 vg. attendite, aur. attendite *vobis* c. b c g h. — V 24 vg. adsimilabitur, aur. *similis est* c. a b c g (γ).

C 8, 2 vg. leprosus, aur. leprosus *quidam* c. a b c f g^1 h. — V 7 vg. ait, aur. *et* ait c. a b c f l. — V 16 vg. spiritus, aur. spiritus *inmundos* c. a b c g h δ γ gat. mm. Hil. — V 20 vg. nidos, aur. *tabernacula* c. g^1 l for. — V 28 vg. duo, aur. duo *homines* c. b c f^1 g^1 h l. — V 29 vg. et ecce clamaverunt, aur. et clamaverunt c. (a b c h l exclam.) γ. — V 32 vg. et ait illis, aur. et ait illis *Iesus* c. b c g^1 h γ; vg. impetu, aur. *magno impetu* c. c γ.

C 9, 17 vg. pereunt, aur. *peribunt* (prima manu) c. b e f^1 g^1 g^2 h δ. — V 23 vg. tibicines, aur. *tubicines* c. a f h δ. — V 31 vg. in tota terra illa, aur. in *totam terram illam* c. a g^1 h l. — V 32 vg. mutum daemonium habentem, aur. mutum *et* daem. hab. c. f^1. — V 34 vg. daemones, aur. *daemonia* c. f h δ. — V 35 vg. curans, aur. *sanans* c. h.

C 10, 3 vg. iacobus (bis), aur. *iacob*. — V 29 vg. sine patre vestro, aur. sine *patris vestri voluntate* qvi in caelis est c. a b c f f^1 g^1 h δ γ gat. — V 35 vg. hominem adv. patr., aur. *filium* adv. patr. c. b d f^1 g^1 h l. — V 37 vg. filiam super me, aur. filiam *plus qvam* me c. a (b) c d f g^1 h. — V 39 vg. perdet illam, aur. perd. *eam* c. d δ γ.

C 11, 3 vg. ait illi, aur. ait illis *ite interrogate* (γ). — V 5 vg.

pauperes, aur. *et* pauperes c. a b d g^1 h γ. — V 7 vg. de iohanne, aur. de iohanne *baptista* c. a b c g^1 g^2 h. — V 12 vg. rapiunt illud, aur. *diripiunt* illud c. a b c d g^1 h k l. — V 20 vg. exprobrare, aur. *increpare* c. g^1 γ. — V 25 vg. quia abscond., aur. *qui* absc. c. d f h k l (mm.). — V 26 vg. quoniam, aur. *quia* c. f^1 δ.

C 12, 2 vg. licet, aur. licet *eis* c. b c g^1 h l γ. — V 4 vg. quos non lic., aur. *quod* non lic. c. b d k. — V 9 vg. et cum inde transisset, aur. et cum *discessisset* inde. — V 11 vg. dixit illis, aur. dixit *eis* c. d f l. — V 14 vg. adv. eum, aur. adv. *iesum*. — V 16 vg. ne manifestum eum facerent, aur. ne *provulgarent* c. c g^1 k γ (a ne divulgarent, b ne pervulgarent). — V 18 vg. nuntiabit, aur. *adnuntiabit* c. a b d f f^1 δ Tert. — V 20 vg. arundinem, aur. harundinem c. a f k l γ, vg. linum fumigans, aur. linum *fumigantem* c. a b f h γ. — V 24 vg. belzebub principe, aur. *belzebul principem* c. a b d f^1 (h) k (belzebul principe h l). — V 27 vg. belzebub, aur. *belzebul* c. a b d f h l. — V 33 vg. agnoscitur, aur. *cognoscitur* c. a b h δ Hil. — V 34 vg. ex abund. enim, aur. ex *habund. autem* c d. — V 35 vg. de bono thesauro, aur. de bono *thensauro* c. a b d (add.) *cordis* c. f gat. mm. — V 37 vg. iustificaberis — — condemnaberis, aur. *iustificaveris* — *condemnaveris* c. d f h k l δ. — V 39 vg. qui respondens, aur. *Iesus autem* respondens c. b c f γ. — V 46 vg. adhuc eo loquente, aur. *haec* eo loquente c. a b h γ. — V 48 vg. at ille respondens, aur. at *ipse* respondens c. b c (h) l γ.

C 13, 11 vg. mysteria, aur. *mysterium* c. a c d f f^2 g^1 h l mm. — V 14 vg. et adimpletur, aur. *et tunc implebitur* c. (a) f^1 h k γ; vg. esaiae dicens, aur. esaiae *dicentis* c. a c d f f^1 f^2 g^1 h l; Ir. int. vg. auditu audietis, aur. *aure* aud. c. a b d f^1 h γ Tert. — V 17 vg. auditis, aur. *audistis* c. b c g^1 h k. — V 20 vg. petrosa, aur. petrosa *loca* c. b h γ; vg. continuo, aur. *confestim* c. h γ. — V 21 vg. scandalizatur, aur. *scandalizantur* c. b l. — 22 vg. sæculi istius, aur. saeculi *huius* c. b f γ. — V 23 vg. centum — sexaginta — vero triginta, aur. *centisimum* — *sexagensimum* — *porro* aliud *tricensimum* c. (a b c f f^1) g^1 g^2 h δ γ gat. — V 24 vg. simile factum est, aur. (factum omisum) c. a b c d f f^2 g^1 g^2 h. — V 27 vg. accedentes, aur. *accesserunt* c. a b c f^2 g^1 h k. — V 30 vg. fasciculos, aur. *fasciculis* c. b mm. — V 32 vg. maius est, aur. maius *fit* c. a b c f^2 g^1. — V 35 vg. dictum erat, aur. dictum *est* c. d e f f^2 g^1 g^2 h k l γ Hil. — V 37 vg. qui respondens, aur. *at ille* respondens; (a b c g^1 h: at Ies. resp.). — V 44 vg. simile est regnum, aur. *aliam similitudinem locutus est:* simile est regn. c. (b) γ. — V 45 vg. negotiatori, aur. *negotianti* c. b d e f f^2 g^1 h k. — V 46 vg. emit eam. aur. emit *illam* c. e f k. — V 47 vg. genere piscium, aur. (om. pisc.) c. d g^2 k Aug. — V 48 vg. quam cum, aur. *quæcum* c. γ.

C 14, 3 vg. Herodes enim, aur. H. *autem* c. f^1 d γ. — V 4 vg. dicebat enim, aur. dic. *autem*. — V 9 vg. iuramentum, aur. *iusiurandum* c. c d f^1 k γ. — V 14 vg. langvidos, aur. *infirmos* c. c d f h k γ. — V 18 vg. qui ait eis offerte illos mihi huc, aur. *et ait Iesus adferte* illos *ad me* c. (a b c h f^2 g^1 h) γ. — V 19 vg. turbam, aur. *turbas* c. d

g^1 δ. — V 24 vg. erat enim, aur. erat enim *illis* c. (a) b c f^1 f^2 g^1 g^2 h γ. — V 29 vg. at ipse ait, aur. *at ille dixit* c. e f^1 (h) γ.

C 15, 6 vg. honorificabit, aur. *honorificavit* c. a b f^1 l δ (d e honoravit). — V 12 vg. verbo, aur. *hoc* verbo c. a c f f^2 g^1 g^2 gat. — V 14 vg. caecus autem, aur. caecus *enim* c. c f^1. — V 32 vg. perseverant, aur. *perdurant*. — V 36 vg. accipiens, aur. *acceptis* c. f^1. — V 37 vg. et comederunt, aur. et *manducauerunt* c. a b c d e f f^1 f^2 g^1.

C 16, 9 vg. intellegitis, aur. *intellexistis* c. c f^2. — V 13 vg. quem dicunt, aur. quem *me* dicunt c. a b d e f f^1 f^2 g^1 g^2 l δ Ir. int. Hil. Amb. — V 14 vg. alii Iohannem, aur. Iohannem (alii om.) c. a b d e f^1 g^1 l. — V 20 vg. esset Iesus Christus, aur. *est* Christus c. (a b) f^1. — V 23 vg. ea quae (bis), aur. quae (ea om. bis) c. a b d e f f^1 δ. — V 24 vg. abneget semet, aur. abn. se c. a b c d e f^2 g^1 γ Lucif. Cal. — V 28 vg. stantibus, aur. *adstantibus* c. a b c f f^1 Ambr.

C 17, 4 vg. nos, aur. *nobis* c. l mm. — V 9 vg. praecepit, aur. praecepit *eis* c. a b d f δ; (c e. praec. illis). — V 11 vg. ait, aur. ait *illis* c. f (l δ ait eis). — V 12 vg. quaecumque voluerunt, aur. *quanta* voluer. c. a b c d f^1 g^1 γ. — V 19 vg. dixerunt, aur. dixerunt *ei* r. a b c f^2 g^1 γ. — V 25 vg. intrasset, aur. *introisset* c. e.

C 18, 1 vg. in illa hora, aur. in illa *die* c. a b c f^1 f^2 e g^1 Hil. — V 2 vg. advocans, aur. *vocans* c. f^1 g^1; (a b c e: vocavit). — V 6 vg. in profundum, aur. in *profundo* c. c δ γ (d: in pelago). — V 10 vg. quia angeli, aur. *quod* angeli c. a b c d f^2 g^1. — V 13 vg. (var.) gaudet, aur. *gaudebit* c. a b c f f^1 f^2 g^1 g^2 h l δ mm. gat. — V 21 vg. peccabit, aur. *peccavit* c. l γ. — V 26 vg. dicens, aur. dicens *domine* c. f δ γ. — V 31 vg. facta erant, aur. facta *fuerant* c. c f f^2 γ gat. mm. for. — V 32 vg. illum, aur. *eum* c. a b d e f f^1 γ. — V 33 vg. (var) non ergo, aur. *nonne* c. c f f^2 γ; — vg. conservi tui, aur. *conservo tuo* c. a b c d e f f^1 f^2 g^1 h Lucif. Cal.

C 19, 4 vg. eis, aur. *illis* c. b f. — V 5 vg. dimittet, aur. *relinquet* c. b c d e f f^2 g^1 h γ gat. mm. Aug. — V 9 vg. fornicationem, aur. *causam fornicationis* c. a b c e f f^2 g^1 h gat. mm. — V 10 vg. causa hominis, aur. causa *viri* c. a b c d f^2 g^1 h γ gat. mm. — V 12 vg. castraverunt, aur. *eunuchizaverunt* c. a g^1 l γ. — V 13 vg. increpabant, aur. *prohibebant* c. a b c f f^1 f^2 h γ Hil. Aug. — V 26 vg. dixit illis, aur. dixit *eis* c. d f δ γ.

C 20, 4 vg. vineam, aur, vineam *meam* (pr. m.) c. a c e f f^1 f^2 g^1 g^2 h gat. — V 17 vg. ascendens, aur. *ascendit* c. g (e: ascenderet). — V 21 vg. qui dixit, aur. *dixitqve* c. γ. — V 24 vg. et audientes decem, aur. audientes *autem* decem c. γ. — V 25 vg. dominantur eorum, aur. dom. *in eos* c. γ. — V 28 aur. add.: *vos autem quaeritis de pusillo crescere et de minimo maiores esse cum introieritis autem ad caenam vocati nolite recumbere in locis eminentioribus, ne forte honoratior te superveniet et accedens qui vocavit te dicat tibi adhuc deorsum accede, et confundaris. Si autem recubueris in inferiori loco et supervenerit inferior te dicet tibi qui te ad caenam vocavit accede adhuc superius*

et eris tibi hoc utilius c. a b c D(gr) d e f^1 f^2 g^1 g^2 h γ mm. vers. Syr. Cur. Philox. (in marg.) Anglo-Saxonica. Hil. Leo Magn. Iuvenc. — V 29 vg. illis, aur. (om.); vg. secuta est eum turba multa, aur. *secutae sunt* eum *turbae* c. c d e f^1 g^2 Hil. Iuvenc. — V 30 vg. transiret et clam., aur. transiret clam. c. e δ. — V 34 vg. misertus autem eorum, aur. misertus autem *illorum* c. b.

C 21, 1 vg. bethphage, aur. *in* bethphage c. a b c d e f f^1. — V 9 vg. in altissimis, aur. in *excelsis* c. c d f g^1 h δ γ gat. mm. — V 11 vg. iesus, aur. (om.). V 12 aur. (iesus om.) c. γ. — V 21 vg. iesus ait eis, aur. iesus ait c. b f; vg. iacta te, aur. *mitte* c. (b) d. — V 24 vg. dixit eis, aur. *ait* eis c. γ; vg. sermonem quem, aur. sermonem *quod*. — V 29 vg. ille autem respondens, aur. ille respondens c. c γ Hil. — V 31 vg. (var.) primus, aur. *novissimus* c. a b d e f^1 f^2 g^1 h l γ Hil. Hier.; vg. (var.) in regnum, aur. in *regno* c. a b c d e f^1 f^2 g^1 l gat. — V 33 vg. (var.) sepem, aur. *sepe* c. b l. — V 35 vg. alium ceciderunt, aur. *unum* cecid. c. b c e f f^2 h Iren. Luc. Cal. — V 41 vg. aiunt, aur. *dicunt* c. d δ; vg. locabit, aur. *locavit* c. a b d e f h l. — V 43 vg. fructus, aur. *fructum* c. b c e f^1 f^2 h. — V 45 vg. et cum audissent, aur. *audientes autem* c. δ γ. — V 46 vg. prophetam, aur. *pro* prophetam.

C 22, 3 vg. nolebant, aur. *noluerunt* c. b c e f f^1 f^2 g^1 h γ Lucif. Cal. — V 4 vg. parata, aur. parata *sunt* c. a b c f^1 f^2 g^2 h. — V 5 vg. alius vero ad neg., aur. alius *in* neg. — V 7 vg. illorum, aur. *eorum* c. a d e δ Ir. int. Hil. Lucif. Cal. — V 12 vg. intrasti, aur. *venisti* c. b c d e f^1 f^2 g^1 Lucif. Cal. Ambr. Aug. — V 13 vg. ligatis, aur. *alligatis* c. f γ. — V 14 vg. (var.) multi enim, aur. multi *autem* c. a b c g^1 g^2 h l. — V 16 vg. hominum, aur. *hominis*. — V 17 vg. (var.) censum dare, aur. censum *dari* c. (a) c e f f^2 g^1 Ruf. — V 25 vg. erant autem, aur. erant (aut. om.) c. d. — V 26 vg. secundus, aur. *et* secundus c. d e f f^1 g^2 h δ Arn. Afr. — V 30 vg. (var.) sunt, aur. *erunt* c. e g^1 l δ γ Tert. (saepe) Hil. Ambr. Hier. Aug. (saepe) Zeno. Veron. Phil. Brix.

C 23, 4 vg. (var.) autem onera, aur. *enim* honera c. d e f h γ; vg. inponunt, aur. *inponent* c. h. — V 8 vg. magister vester, aur. magister vest. *deus;* vg. omnes autem, aur. omnes *enim* c. a g^1 δ. — V 14 vg. (var.) om., aur. (versum totum habet) c. a d e f f^2 g^1 g^2 h δ gat. mm. — V 33 vg. serpentes genimina viperarum, aur. serp. *progenies* viper c. c f γ. — V 37 vg. quemadmodum, aur. *quomodo* c. e.

C 24, 6 vg. audituri enim, aur. aud. *autem* c. (a b) f f^1 l δ γ; vg. ne turbemini, aur. ne *timeatis* c. γ. — V 10 vg. invicem tradent, aur. invicem *se* tradent c. a f^2 g^2 h δ γ gat. mm. — V 12 vg. refrigescet, aur. *refrigescit* c. f g^1 h l. — V 13 vg. perseveraverit, aur. *permanserit* c. (a) b c f^2. — V 14 vg. orbe, aur. *mundo* c. d γ. — V 16 vg. ad montes, aur. *in montibus* c. a b c d e f^2 h γ. — V 26 vg. penetralibus, aur. *pænetrabilibus* c. f f^2 l δ γ Hil. — V 30 vg. plangent, aur. plangent *se* c. a c f^2 γ. — V 36 vg. angeli caelorum, aur. ang. cael. *neque filius* c. a b c d e f f^1 f^2 h γ for. Hilar. Ambr. (saepe) Or. interpr. Aug. Hier. plur. א B D vers. Arm. Aethiop. — V 37 vg. autem, aur. *enim* c. d e δ γ. —

V 44 vg. ideo, aur. *ideoque* c. c f f^2. — V 46 vg. invenerit, aur. *inveniet* c. a b c f^2 h. — V 51 vg. ponet, aur. *ponit* c. b.

C 25, 11 vg. et reliquae, aur. (et om.) c. b c d f. — V 15 vg. unicumque secundum, aur. unic. *autem* sec. c. c f g^1 l. — V 20 vg. obtulit, aur. *et* obtulit c. f^1 h. — V 25 vg. et timens, aur. timens (et om.) c. f^1 g^1 h. — V 26 vg. serve male, aur. serve *nequam* c. a c d f^1 f^2 h γ Lucif. Cal. Aug. Hieron. — V 38 vg. hospitem et collegimus, aur. hosp. et *suscepimus* c. a c h γ; vg. cooperimus, aur. *operuimus te* c. h. — V 39 vg. in carcere, aur. in *carcerem* c. a b g^1 h l. — V 42 vg. potum, aur. *bibere* c. c f^1 f^2 g^1 g^2 h Ambr. — V 44 vg. in carcere, aur. in *carcerem* c. a b c d f g^1 g^2 h. — V 45 vg. de minoribus, aur. *ex minimis* c. c f^1 f^2 (h) Cypr. Aug.

C 26, 7 vg. caput ipsius recumbentis, aur. cap. *eius recumbente ipso* c. a b c (f) f^2 h δ γ (gat.). — V 9 vg. venundari multo, aur. ven. *praetio* multo c. f f^1 g^2 δ gat. mm. for. — V 16 vg. traderet, aur. traderet *eis* c. b c h. — V 17 vg. azymorum, aur. *azimorum* c. f h l. — V 22 vg. contristati valde, aur. contr. *nimis* c. b c h. — V 24 vg. sicut scriptum, aur. sicut *constitutum*. — V 25 vg. tradidit, aur. *traditurus erat* c. a b c f f^1 h δ γ for. gat. (mm.). — V 26 vg. comedite, aur. *manducate* c. b c d f^2 g^2 h γ Epiph. — V 31 vg. dispergentur, aur. *dispargentur* c. a b d f h l for. — V 34 vg. ait illi, aur. *dicit illi* c. b c h γ. — V 35 vg. etiamsi, aur. *et si* c. d δ. — V 36 vg. getsemane, aur. *gezamani* c. a b c d f (f^1) g^1 h γ mm.; vg. illuc et orem, aur. illuc *orare* c. a b c d f f^2 h δ Hil. — V 50 vg. dixitque illi Iesus, aur. Iesus *autem* dixit illi c. d f δ γ. — V 53 vg. duodecim legiones, aur. duod. *milia legionis* c. b c f g^1 h γ Hil. (bis.). — V 56 vg. implerentur, aur. *impleantur* c. a b c f^2. — V 59 vg. omne concilium, aur. *universum* conc. c. a b c f^2 h γ; vg. contra Iesum, aur. *adversus* Ies. c. a c d f h γ. — V 61 vg. templum dei, aur. templ. *hoc* dei c. b c d f^2 h mm. Cassiod. — V 74 vg. novisset, aur. *nosset* c. c l.

C 27, 6 vg. principes autem, aur. princ. (autem omis) c. b c f^2 h δ; vg. in corbanan, aur. in *corban* c. a d f g^1 h δ. — V 14 vg. ad ullum verbum, aur. ullum verb. (ad omis.) c. a b c d f f^1 f^2 γ gat. — V 18 vg. tradidissent, aur. *tradiderunt* c. c f^2 h (a b d: tradiderant). — V 21 vg. praeses, aur. *pilatus* c. f. — V 24 vg. accepta aqua, aur. *accepit* aqua (d δ: accipiens aqua). — V 35 vg. (var.) omit. ut impl. — miserunt sortem, aur.: *ut inpleatur quod dictum est per prophetam: diviserunt vestimenta mea sibi et super vestem meam miserunt sortem* c. a b c h δ γ Tert. — V 45 vg. a sexta autem hora, aur. *et postquam crucifixus est* a sexta cet. c. a b c. — V 48 vg. acceptam spongiam, aur. *accepta spongia* c. a b g^1 h. — V 65 vg. habetis custodiam, aur. habetis *custodes* c. a b c d f f^2 g^1.

C 28, 19 vg. euntes ergo, aur. euntes *nunc* c. a b d h.

Marc.

C 1, 5 vg. hierusolymitae universi, aur. (universi om.) c. c f *δ*; vg. iordane flumine, aur. *iordanen* (flumine om.) c. a b d. — V 6 vg. locustas, aur. *lucustas* c. b d f l; vg. et praedicabat, aur. *qui praedicabat* c. c. — V 7 vg. venit, aur. *veniet* c. d. — V 8 vg. baptizavi aqua, aur. bapt. *in* aqua c. a b c f f^1 g^1 gat. mm.; vg. baptizabit spiritu sancto, aur. *baptizavit* spir. sc. c. b d l. — V 9 vg. et factum est, aur. factum est *autem* c. *γ*. — V 11 vg. in te conplacui, aur. in *quo* conplacui (c. b). — V 13 vg. ministrabant illi, aur. ministr. *ei* c. a b c d f *γ*. — V 15 vg. credite evangelio, cred. *in evangelium* c. a c d l (in evangelio). — V 23 vg. exclamavit, aur. *clamavit* c. *δ*. — V 29 vg. et pratinus egredientes, aur. *egressus autem* c. b c f^2. — V 30 vg. decumbebat, aur. *discumbebat;* vg. de illa, aur. de *ipsa* c. *γ*. — V 35 vg. surgens egressus abiit, aur. surgens abiit (egressus om.) c. b c d e. — V 36 vg. prosecutus est, aur. *secutus* est c. *δ γ*. — V 40 vg. eum et genu flexo dixit, aur. eum *et dicens* c. a b c e. — V 41 vg. extendit, aur. *et extendens* c. a b c e f^1 f^2 l *γ*. — V 43 vg. et comminat . . . . . illum, aur. (omittit) c. b c e. — V 44 vg. et dicit ei, aur. *et ait illi* c. b c e *γ*.

C 2, 1 vg. et iterum intravit Caph., aur. *et cum venisset* Caph. c. c *γ*. — V 2 vg. neque ad ianuam, aur. *usque* ad ianuam c. a d f f^1 g^2 g^2 gat. mm. — V 4 vg. summiserunt, aur. *miserunt*. — V 16 vg. manducat et bibit, aur. manducat (bibit om.) c. a b d e. — V 18 vg. illi, aur. *ei* c. a b l *δ* (pr. m.) *γ*. — V 23 vg. discipuli eius coep. praegredi et vellere, aur. discip. *vero* eius coep. vellere c. b e f^2 (*γ*). — V 26 vg. (var.) licet, aur. *licebat* c. a b d e f f^1 i l *δ*; vg. sacerdotibus, aur. *solis* sacerd. c. b c e f l *δ*.

C 3, 2 vg. acc. illum, aur. acc. *eum* c. c d f^1 f^2 g^1 g^2 l *δ*. — V 3 vg. in medium, aur. in *medio* c. c l. — V 5 vg. cum ira, aur. cum *indignatione* c. a c g^1 g^2 i *γ* (d cum ira indignationis); vg. super caecitate, aur. *supra cecitatem* c. a e l *δ*. — V 11 vg. videbant, aur. *viderent* c. a b d e f g^2 i *δ*; vg. et clamabant, aur. (om. et) c. a b c d f. — V 12 vg. tu es filius dei, aur. *quia* tu es filius dei c. f *δ γ*. — V 18 vg. thaddeum, aur. *tatheum* c. *γ*; aur. *scarioth* (semper) c. a b c d e f f^1 f^2 g^1 g^2 i l. — V 21 vg. in furorem, aur. in *furore* c. *γ* — V 25 vg. dispertiatur, aur. *dispartiatur*. — V 30 vg. habet, aur. *habere* c. a b c d e f^2 g^1 *γ*. — V 31 vg. ad eum, aur. ad *illum* c. b c *γ*.

C 4, 1 vg. turba circa mare super terram erat, aur. turba *stabat in litore* c. c f f^2 g^1 *γ*. — V 2 vg. et docebat illos in parabolis multa, aur. (omittit). — V 8 vg. ferebat unum triginta et unum sexaginta et unum centum, aur. *adferebat fructum unum tricensimum et unum sexagensimum et unum centissimum* c. c f f^1 f^2 g^1 gat. mm. — V 10 vg. parabolas, aur. *de parabolis*. — V 11 vg. (var.) scire, aur. *nosse* c. c f^2 *δ* (pr. m.). — V 20 vg. (sicut versus 8), aur. (similiter) c. c f f^1 f^2 g^1 g^2 i. — V 29 vg. statim, aur. *et* statim; vg. messis, aur. *tempus* messis. — V 36 vg. et aliae naves erant, aur. et al. nav. *simul* erant c. c e f^2 i.

C 5, 1 vg. venerunt, aur. *veniunt* c. γ. — V 9 vg. et dicit ei, aur. *qui respondens dixit* c. c γ. — V 13 vg. concessit, aur. *permisit* c. b e i γ. — V 14 vg. egressi sunt, aur. *egressae* sunt *turbae* c. γ. — V 15 vg. sanae mentis, aur. sanae mentis *qui habuerat legionem* c. δ γ; vg. timuerunt, aur. tim. *valde* c. c γ. — V 19 vg. et non admisit eum, aur. *Iesus vero non permisit ei* c. c d f^1 γ. — V 20 vg. et abiit et coepit, aur. *ille vero egressus* coepit c. c γ. — V 21 vg. transcendisset, aur. *transisset;* vg. et erat circa mare, aur. circa mare (et erat om.) c. d f^1 i. — V 23 vg. vivat, aur. *vivet* c. c e. — V 24 vg. (var.) compr. illum, aur. compr. *eum* c. a c. — V 26 vg. perpessa, aur. *passa* c. a b d e i. — V 28 vg. si vel vestimentum eius tetigero, aur. *si* tetigero vest. eius c. c d e f^1 (adtigero, tangam) δ. — V 30 vg. et statim Iesus cognoscens in semet ipso, aur. *cognovit autem* Ies. c. c e f^1 i γ. — V 31 vg. et dicebant ei, aur. *dixerunt autem* c. c γ. — V 35 vg. veniunt ab archisynagogo, aur. *venerunt ad principem synagogae* c. b c (e) f^1 g^2 γ. — V 36 vg. audito verbo quod dicebatur, aur. audito *hoc* verbo c. c d f i. — V 39 vg. et ploratis, aur. et *quid* ploratis c. b d f i γ. — V 40 vg. ingreditur, aur. *ingrediuntur* c. l δ. — V 41 vg. talitho, aur. *thabitha* c. a b c d i l.

C 6, 1 vg. inde abiit, aur. inde *venit* c. a γ; vg. (var.) seq. illum, aur. seq. *eum* c. a f l γ; vg. discip. sui, aur. discip. *eius* c. d f. — V 2 vg. et facto sabbato coepit, aur. *et coepit sabbatis* c. c γ. — V 3 vg. nonne iste est faber filius mariae, aur. nonne *hic* est *fabri* filius *et* mariae c. a b c e g^1 g^2 i δ (γ hic) gat. mm. — V 6 vg. illorum, aur. *eorum* c. i l γ; vg. circumibat, aur. *circuibat* c. a b d e f g^2 i l δ γ. — V 7 vg. (var.) convocavit, aur. *vocavit* c. γ; dabat, aur. *dans* c. c d e f^1 γ. — V 10 vg. illic manete, aur. *ibi* manete c. a b c f^1. — V 13 vg. ungebant, aur. *ungventes* c. b d i. — V 14 vg. et audivit rex Her., aur. *cum audisset autem Her. rex* c. c γ; vg. manif. enim fact. est nomen eius, aur. manif. enim *ei fuerat* nomen *Iesu* c. c γ; vg. et propter ea, aur. et *ideo* c. a c f^1 γ. — V 16 vg. iohannem, aur. *iohannen* c. f. — V 17 vg. vincit, aur. *alligavit* c. a c d f f^1 i γ. — V 20 vg. herodes enim, aur. her. *vero* c. c γ; vg. et custodiebat eum et audito eo multa faciebat et libenter, aur. et *observabat* eum et *cum audisset illum multa facere libenter* c. c. c γ (partim c. a b). — V 21 vg. et cum dies, aur. cum dies *autem* c. c d γ; vg. caenam fecit, aur. fecit caenam *magnam* c. c γ. — V 22 vg. ipsius herodiadis, aur. (ipsius omis.) c. b c f; vg. rex, aur. *tunc* rex c. c γ. — V 23 vg. quicquid, aur. *quodcumque* c. a b c f^1 γ. — V 25 vg. cumque introis. statim cum festinatione ad regem petivit dicens, volo ut protinus des mihi in disco caput ioh., aur. *illa autem ingressa ad regem confestim petit sibi dari in disco cap. ioh.* c. c (qui omit. confestim) γ. — V 28 vg. dedit illud puellae, aur. (omit. illud) c. b c δ; vg. et puella dedit, aur. *illa autem* dedit c. c γ (b: puella autem). — V 30 vg. et convenientes apostoli, aur. *et reversi* c. c γ. — V 31 vg. qui veniebant et redicbant multi, aur. *quidam euntes et redeuntes* c. f^1. — V 32 vg. ascendentes in navem, aur. ascendentes in *navi* c. a c d f^1

i l δ. — V 34 vg. et exiens vidit multam turbam Ies., aur. *cum vero vidisset* Ies. *turbam* c. c γ; vg. super eos, aur. *illis* c. c γ. — V 35 vg. hora multa fieret, aur. *horae multae fierent* c. f; vg. acc. discip., aur. acc. *ad eum* disc. c. c f δ γ. — V 36 vg. et vicos, aur. et *castella* c. b c f γ; vg. cibos quos manduc., aur. *quod* manduc. c. a b d f f^1 i γ. — V 37 vg. emamus denariis ducentis panes, aur. em. *illis panes ducentorum denariorum* c. c f^1 γ (qui om. illis). — V 38 vg. dicit eis, aur. *ait illis* c. b c f^1 γ; vg. dicunt quinque, aur. dic. *ei* quinque *panes* c. a (b ei) d f i l. — V 39 vg. ut accumbere facerent, aur. ut *discumberent* c. a b c d i γ; vg. secundum contubernia, aur. *per contubernia* c. c γ. — V 47 vg. sero esset, aur. sero esset *factum* c. a b c d f f^1 g^2; vg. ipse solus, aur. *Iesus* solus c. γ. — V 48 vg. erat enim ventus contrarius eis, aur. erat *autem illis* vent. contr. c. a f (enim) b c d; vg. praeterire, aur. *pertransire* (c d: transire). — V 50 vg. omnes enim, aur. omnes *qui*. — V 51 vg. et plus magis intra se stupebant, aur. *illi autem magis stupebant et mirabantur* c. γ (d mirab.). — V 52 vg. abcaecatum, aur. *obtunsum* c. a b c d i. — V 53 vg. et applicuerunt, aur. (omit.) c. a b d f^1. — V 54 vg. cumque egressi essent, aur. *et egressus* c. c. — V 56 vg. introibat, aur. *introisset* c. c γ; vg. infirmos, aur. inf. *suos* c. c.

C 7, 2 vg. communibus manib., aur. *non lotis* manib. c. b c g^2 δ; vg. vitup., aur. add. *eos* (c illos). — V 3 vg. Pharis. enim, aur. Ph. *autem* c. b c f^1 i l γ; vg. nisi crebro laverint, aur. nisi crebr. *pugillo lavent* c. c i (omit. creb., l δ: lavent). — V 4 vg. et a foro nisi baptizantur comedunt, aur. et *cum a foro venerint, nisi bapt. non capiunt cibum* c. c γ (b cib. non cap.) d f^1 i; vg. multa sunt, aur. (omit. sunt) c. d δ. — V 5 vg. non ambulant iuxta; aur. non *secuntur* c. a c d f f^1 i; vg. communibus, aur. *non lotis* c. b c f f^1 l δ γ. — V 6 vg. sicut scriptum est, aur. *et dixit* c. a b (qui dix.) d i. — V 7 vg. in vanum, aur. *in vano* (c: vano); vg. doctrinas praecepta, aur. doctr. *et* praecepta c. c f i. — V 11 vg. profuerit, aur. *proderit* c. b d f f^1 g^1 i l γ. — V 14 vg. advocans iterum, aur. adv. it. *Iesus* c. γ. — V 24 vg. non est enim bonum, aur. (omit. enim) c. l. — V 30 vg. domum suam, aur. *in* dom. suam c. d f f^1 δ γ — V 31 vg. venit per sidon., aur. (omit. venit). — V 32 vg. surdum, aur. *hominem* surd. c. c γ; vg. inponat illi manum, aur. *ei* manum inp. c. a c f (γ).

C 8, 3 vg. et si dimisero, aur. et *dimittere* c. a b d f^1 i γ; vg. nolo — — domum suam, aur. *nolo ne* c. a b d γ f^1 i (in domum). — V 4 vg. poterit quis hic, aur. *possumus* c. γ. — V 6 vg. dabat, aur. *dedit* c. a b c d f i l γ. — V 7 vg. et habebant, aur. *habebant autem et* c. b c γ (habuerunt). — V 10 vg. in partes dalmanuthae, aur. in *finibus magedan* c. c (a b d: partes mag., i: terra mag.). — V 12 vg. spiritu, aur. *in spiritu* c. b c g^1 i; vg. generationi isti, aur. generationi *huic* c. a c d f. — V 15 vg. praeciebat eis, aur. *praecepit Iesus* c. c γ. — V 17 vg. caecatum habetis cor., aur. caec. *est* cor. c γ. — V 19 vg. (var.) quot, aur. *et* quot c. d f l δ. — V 20 vg. et septem panes, aur. (omit. panes) c. a d i; vg. et dicunt ei septem, aur. *at illi dixerunt* septem c.

b c d f f^1 i γ. — V 21 vg. et dicebat eis, aur. et *ait illis* c. b c d f f^1 i γ. — V 23 vg. (var.) et apprehendens manum caeci eduxit, aur. *et adprehensa manu* caeci eduxit c. a c k δ γ. — V 27 vg. dicens eis, aur. (omit. eis) c. a b d i k δ γ. — V 28 vg. unum de prophetis, aur. unum *ex* proph. c. a b c d f f^1 i k γ. — V 33 vg. satana, aur. *satanas* c. b c f^1 g^2 k δ γ gat.; vg. quae sunt hominum, aur. (om. sunt) c. c δ. — V 34 vg. dixit eis, aur. *ait* c. c γ; vg. me sequi, aur. *post* me *venire* c. (b) c d f g^1 i l δ γ gat.; vg. semet ipsum, aur. *se ipsum* c. a d γ (i k: se, omit. ipsum). — V 37 vg. quid dabit homo, aur. *quam* dabit homo c. a γ. — V 38 vg. confundetur, aur. *confundet* c. a b c f g^1 δ.

C 9, 1 vg. adsumit, aur. *adsumpsit* c. a b c d f f^1 g^1 i k δ; vg. solos, aur. *solus* c. a d f^1 k l δ gat. Mart. Tur. — V 4 vg. (var.) faciamus, aur. faciamus *hic* c. e f^1. — V 6 vg. et venit vox, aur. *et ecce vox* c. c f^1. — V 7 vg. nisi Iesum tantum, aur. nisi *solum* Iesum c. a c f^1 k δ γ. — V 11 vg. qui respondens, aur. respondens *Iesus* c. c γ; vg. in filium hominis, aur. *de filio* hominis c. γ. — V 12 vg. quaecumque, aur. *quanta* c. c k. — V 13 vg. et veniens, aur. et *cum venisset* c. a c k γ. — V 14 vg. omnis populus, aur. *omn. multitudo* c. b c i; vg. stupefactus et expaverunt, aur. *expavit* c. γ; vg. salutabant, aur. *salutaverunt* c. a b c d f^1 i δ γ. — V 18 vg. qui respondens eis dicit, aur. *et respondens Iesus ait illis* c. (c) γ (et partim cum d f i k). — V 20 vg. ille ait, aur. ille *dixit* c. c d f γ. — V 25 vg. et exclamans, aur. *clamans* c. d f l. — V 28 vg. et dixit illis, aur. et *ait illis*. — V 29 vg. et inde profecti praetergrediebantur, aur. *et inde egressi ibant per* c. a (partim) c γ. — V 30 vg. et occisus, aur. (omit.) c. a c d k. — V 33 vg. at illi tacebant, aur. *illi autem taceb.* c. c k δ γ; vg. si quidem inter se, aur. inter se *enim* c. a b d f i. — V 35 vg. et accipiens puerum, aur. et *adsumens* puerum c. c. — V 36 vg. quicumque me susceperit, aur. quic. *me suscipit*. — V 37 vg. qui non sequitur nos et prohibuimus eum, aur. et prohibuimus eum, *quia* non seq. nos c. f δ γ. — V 38 vg. ait, aur. ait *illis* c. c γ. — V 41 vg. et quisquis, aur. et *quicumque* c. a b f k; vg. collo eius, aur. *circa collum* eius c. b c k δ. — V 46 vg. eiece eum, aur. *erue eum* c. i (illum) γ. — V 48 vg. omnis enim igne salietur et omnis victima sale salietur, aur. *omnis enim victima salietur* c. b c i f^1 γ (a: omnis hostia, d: sacrificum — salietur).

C 10, 1 vg. et inde exurgens, aur. et *inde exiens Iesus* c. γ; vg. ultra iordan., aur. *trans iordanen* c. c f f^1 i k; vg. conveniunt . . . turbae, aur. *convenit . . . turba* c. a b c d f^1 i k γ. — V 7 vg. ad uxorem suam, aur. *uxori suae* c. a c f δ γ. — V 9 vg. coniunxit, aur. *iunxit* c. e f l. — V 10 vg. de eodem, aur. *de hoc sermone* c. c d f f^1 k γ. — V 12 vg. et si uxor dimiserit, aur. *et mulier si reliquerit* c. c k γ. — V 15 vg. quisquis, aur. *qui* c. c γ; vg. velut parvulos, aur. *sicut puer* c. γ Aug. (alii codd. partim: sicut infans, partim: velut puer). — V 17 vg. eum, aur. eum *dicens* c. a b d f k l γ. — V 19 vg. nosti ne, aur. nosti *ille dixit quae non* c. c; vg. occidas, aur. *accides* c. c γ. — V 20 vg. observavi, aur. *custodivi* c. c f^1 γ. — V 22 vg. qui contristatus, aur. *ille*

autem contr. c. c f^1 γ; vg. verbo, aur. *verbo hoc et* c. a b c d f f^1 γ; vg. moerens, aur. *tristis* c. a b c d f f^1 k γ. — V 24 vg. filioli, aur. (omit.) c. c γ: vg. in regnum dei, aur. (om. in). — V 26 vg. dicentes ad semet ipsos, aur. *inter se* dicentes c. a c γ. — V 27 vg. impossibile est sed non apud deum, aur. (omit. sed non) c. a b c d f; vg. enim, aur. *autem* c. a b e f γ. — 29 vg. domum aut fratres, aur. domum *vel* fr. c. c γ. — V 30 vg. matres, aur. *matrem* c. a b d f f^1 l. — V 32 vg. in Hieros., aur. Hier. c. a b d i; vg. et stupeb. et seq. timeb., aur. et stupeb. *qui sequebantur eum* c. c (partim) γ: vg. eventura, aur. *ventura* c. b c d f γ Mart. Tur. — V 33 vg. scribis, aur. scribis et *senioribus* c. c l γ. — V 34 vg. eum et interficient eum, aur. *et occident eum* c. c f^1 γ. — V 35 vg. accedunt, aur. *accesserunt* c. a b c d f f^1 i γ; vg. facias, aur. *prestes* c. b d f^1 i γ. — V 37 vg. et dix., aur. *illi autem* dix. c. c f γ; vg ad dextr. ad sinistr., aur. *a* dextr. a sinistr. c. k; vg. in gloria tua, aur. in *gloriam tuam* c. b c l Mart. Tur. — V 38 vg. ego bibo, aur. ego *bibiturus sum* c. a b c d (viviturus) γ; vg. baptizor baptizari, aur. baptizari *habeo* c. c γ. — V 42 vg. Ies. autem vocans, aur. *quos cum advocasset* Ies. c. b c d f^1 i γ: vg. dominantur eis, aur. dom. *eorum* c. a b c d f^1 g^2 i k γ — V 43 vg. est autem in vob., aur. (omit. aut.) c a b d f f^1 i; vg. fieri maior, aur. *esse* maior c. a b c d f f^1 i γ Hieron. (δ: primus esse). — V 46 vg. veniunt Hiericho, aur. ven. *in* Hier. c. a c f f^1 l; vg. et proficiente eo de Hier. et discipulis eius et plurima multitudine filius Timei Barthimaeus caecus, aur. *et factum est cum egressi essent ab Hier. cum multa turba ecce quidam caecus filius Timaei Bartimaeus* c. c γ (paene). — V 47 vg. fili david Iesu, aur. (omit. Ies.) c. i k γ. — V 49 vg. praecepit, aur. *iussit* c. a b c f f^1 g^1 (γ); vg. et vocant caecum dicentes ei, aur. *et dicunt caeco* c. a b (qui dic.) i. — V 51 vg. et resp. Ies. dix. illi quid vis tibi faciam, aur. *cui dix. Ies.* quid vis, *ut* faciam tibi c. c γ (partim b). — V 52 vg. ait illi, aur. *dixit ei* c. c (γ).

C 11, 1 vg. mittit, aur. *misit* c. a b c f. — V 2 vg. illud, aur. *illuc* c. l; vg. pullum, aur. pullum *asinae* c. a b c g^2 γ — V 3 vg. dimittet, aur. *dimittit* c. b l. — V 5 vg. dicebant, aur. *dixerunt* c. a b c d f i γ. — V 6 vg. et dimiserunt, aur. et *permiserunt* c. a b d f^1 i γ. — V 7 vg. duxerunt, aur. *adduxerunt* c. c d f γ: vg. inponunt, aur. *inponentes* c. γ. — V 8 vg. vest sua straverunt, aur. vest. sua *sternebant* c. a b c d f^1 i k; vg. alii autem, aur. alii *vero* c. c. — V 11 vg. et introivit, aur. et *cum introisset* c. a b c d f f^1 i γ; vg. cum duodecim, aur. *cum XII discipulis suis* c. a b c d f f^1 g^2 γ — V 13 vg. venit, aur. venit *videre* c. b c d f^1 g^2 i k. — V 14 vg. et respondens dixit, aur. *qui dixit* c. a b i γ. — V 15 vg. et veniunt Hierosolymam, aur. et *venit iterum Hierusolyma* c. b i γ; vg. coepit eiicere vendentes et ementes in templo et mensas nummulariorum et cathedras vendentium columbas evertit, aur. *coepit et mensas nummull. eicere vendentes et ementes in templo* et cathedras vendentium columbas evertit. — V 17 vg. docebat dicens eis, aur. docebat *eos* dicens c. γ. — V 18 vg. principes sacerdotum, aur. *summi sacerdotes* c. c d g^2 γ. — V 19 vg. egrediebatur, aur. *egredie-*

bantur c. c d. — V 21 vg. dicit ei, aur. *ait illi* c. a c d f i γ; vg. rabbi, aur. (omit.); vg. ficus, aur. *ficulnea* c. γ. — V 23 vg. quicunque, aur. *si quis* c. γ; vg. fiat fiet ei, aur. (omit. fiat) c. a b c f¹ i k. — V 25 vg. ad orandum, aur. *ad orationem* c. c f γ Cypr.; vg. peccata, aur. *delicta* c. c d f¹ i. — V 27 vg. rursus, aur. *iterum* c. a c d f g¹ k γ: vg. ambularet, aur. *deambularet* c. a c d; vg. accedunt, aur. *accesserunt* c. b γ: vg. summi sacerdotes, aur. *principes sacerdotum* c. c γ. — V 28 vg. dicunt illi, aur. dic. *ei* c. a c d f γ; vg. ut ista facias, aur. (omit.) c. a b i γ. — V 29 vg. interrogabo, aur. *interrogo* c. a b c f f¹ i k l γ; vg. unum verbum, aur. un. *sermonem* c. c k γ. — V 31 vg. secum, aur. *inter se* c. a d f γ. — V 32 vg. timebant populum, aur. *timemus plebem* c. b d i γ (a c: timemus populum); vg. habebant, aur. *sciebant* c. a b c d f f¹ i k γ. — V 33 vg. dicunt, aur. *dixerunt* c. a b c d f i k l γ.

C 12, 1 vg. homo, aur. *homo quidam* c. c γ; vg. saepem, aur. *sepe* c. f γ; vg. agricolis, aur. *colonis* c. b c d f¹. — V 2 vg. ad agricolas, aur. *ad colonos* c. b c d f¹ i γ; vg. ut ab agricolis acciperet de fructu vineae, aur. *ut darent illi de fr. vin.* c. b c d f f¹ i (k) γ. — V 4 vg. et iterum, aur. iterum c. c i γ; vg. et illum, aur. et *ipsum.* — V 5 vg. quosdam caedentes, aur. *ex eis* quosdam *caeciderunt* c. a b i γ (omittunt: ex eis) c d; vg. occidentes, aur *occiderunt* c. a b c d i k γ. — V 6 vg. adhuc ergo unum habens filium carissimum et illum misit ad eos novissimum dicens quia, aur. *novissime autem misit filium suum quem habebat unicum dilectissimum dicens* c. c γ. — V 9 vg. colonos, aur. colonos *illos* c. c γ. — V 14 vg. vides in faciem, aur. *accipis fac.* c. a b; vg. doces, aur. doces *dic ergo nobis* c. a b c d i; vg. an non dabimus, aur. an non (omit. dab.) c. a b c d i l. — V 15 vg. qui sciens versutiam eorum, aur. *Iesus vero cum vidisset simulationem* eorum c. a c (partim.) γ. — V 16 vg. attulerunt, aur. *obtulerunt* c. γ; vg. inscriptio, aur. *superscriptio* c. c d δ γ. — V 17 vg. igitur, aur. *ergo* c. c γ; super eo, aur. super *eum* c. a d k l γ. — V 18 vg. interogabant, aur. *interrogaverunt* c. c l γ. — V 20 vg. erant, aur. *fuerunt apud nos* c. b c d i (f¹ k γ: fuerunt). — V 21 vg. iste, aur. *ipse* c. c γ. — V 22 vg. et acceperunt eam similiter septem, aur. *deinde omnes septem acciperunt eam* c. c (partim.) γ; vg. defuncta, aur. *mortua* c. d i k γ. — V 24 vg. scientes, aur. *intelligentes* c. b c d f¹ i γ. — V 26 vg. super rubum, aur. *in rubo* c. c f¹ γ. — V 28 vg. accessit, aur. *accedens* c. a b c; vg. quoniam, aur, *quod* c. c f¹ g² γ; vg. primum omnium mandatum, aur. *primo* omn. mand. — V 29 vg. primum, aur. *primo* (similiter). — V 31 vg. simile est illi, aur. *simile huic* c. c f¹ i k γ. — V 33 vg. et ut diligatur, aur. et *diligendus* c b i γ; vg. holocautomatibus et sacrificiis, aur. (omit. holoc.). — V 34 vg. audebat, aur. aud. *amplius* c. a c f¹ γ. — V 36 vg. dixit dominus, aur. *dicit* dom. c. k. — V 37 vg. audivit, aur. *audiebat* c. a b c d f¹ i k γ. — V 38 vg. et dicebat eis in doctrina sua, aur. *ipse autem docebat eos dicens* c. c γ; vg. qui volunt in stolis, aur. *in stolis volunt* c. γ. — V 39 vg. caenis, aur. *conviviis* c. b d i. — V 41 vg. iactaret, aur. *mittebat* c. a c (mittebant). — V 42 vg. una vidua, aur. *quaedam*

vidua c. c *γ*; vg. duo minuta, aur. *aera minuta duo* c. b *γ* (c d i: aera duo). — V 43 vg. misit qui miserunt, aur. *misit* c. a b c i. — V 44 vg. quae habuit, aur. *quem* habuit c. c k *γ*.

C 13, 2 vg. vides has omnes magnas aedificationes, aur. *videtis haec omnia magna aedificia amen dico vobis quoniam* c. b c (e) f¹ i *γ* (a d: has structuras magnas, k l: amen dico vob.); vg. lapis, aur. *hic* lap. c. a b d *γ*. — V 3 vg. separatim. aur. *seorsum* c. b d i *γ*; vg. iacobus, aur. *iacob*. — V 8 vg. gens contra gentem, aur. gens *super* gent. c. a i k l *γ*; vg. haec, aur. haec *autem* c. *γ*. — V 9 vg. vosmet, aur. *vos* c. a d i k. — V 11 vg. praecogitare, aur. *cogitare* c. c d f¹ i l *γ* Mart. Tur. — V 12 vg. consurgent, aur. *exurgent* c. k (exurgebit). — V 14 vg. desolationis, aur. (add.) *quod dictum est a danihelo propheta* c. c k l *δ γ*; vg. legit, aur. *leget*. — V 15 vg. quid, aur. *quicquam* c. c. V 16 vg. tollere, aur. *et* tollere. — V 18 vg. orate vero, aur. orate *ergo* c. c. V 19 vg. fient, aur. *erunt post haec* c. c d *γ*. — V 22 vg. portenta, aur. *prodigia* c. a c d i *γ* Cypr. — V 24 vg. contenebrabitur, aur. *obscurabitur* c. a c *δ γ*. — V 25 vg. virtutes quae sunt in caelis, aur. virt. *caelestium* c. d *γ*. — V 26 vg. virtute multa, aur. virt. *magna* c. a k *γ*. — V 29 vg. in ostiis, aur. in *ianuis* c. a c f¹ *γ*. V 30 vg. transibit, aur. *transiet* c. a c f¹ i l. — V 33 vg. videte, aur. *videte itaque* c. c f¹ *γ*; vg. nescite enim, aur. (omit. enim) c. c *γ*. — V 34 vg. dedit, aur. *dans* c. c e f¹ *γ*; vg. cuiusque, aur. *unicuique* c. a c e f¹ i; vg. operis, aur. op. *sui* c. c *δ*; vg. ut vigilet, aur. *vigilare* c. *γ*. — V 35 vg. vigilate ergo, aur. *sic ergo vigilate* c. c *γ* (e k: sic, om. ergo); vg. an mane, aur. *aut* mane.

